Google

### Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

### Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

### Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

# TRVTINA DELPHOLVDICRI TABELLARIATVS TRAIANI BOCCALINI.

Qua luſtrationis carcerum Pegaſeorum ineptum commentum expenditur, & perſtringitur.

Sillus probroſus in Io. Georgium Triſſinum ab eodem auctore ſcriptus expungitur.

ET ILLVSTRISS.MA TRISSINORVM FAMILIA COMMENDATVR.

Ex Declamationibus Oratorijs

FRANCISCI RVGERII.

Compluti ſuis formis, & ſumptibus cuſsit Nicolaus Herrera.
M. DC. XXII.

a 2

Digitized by Google

VIgeſima tertia Declamatio Oratoria hæc eſt ex ijs, quas texuit FRANCISCVS RVGERIVS, vir eloquentiſſimus; eam Venetijs habuit Clariſsimus adoleſcẽs Antonius Maurus Aloyſij fil. in Academ. Generoſ. anno 1620: nono Kal. Maias, & furtim ſurreptam edi curauit, ſed inſcio auctore, Olyndrus Triſsinus nobilis Laudenſis, auitæ nobilitatis, & virtutis vindex.

Digitized by Google

# TRVTINA

## DELPHOLVDICRI TABELLARIATVS TRAIANI BOCCALINI.

SI quantum aliqui prudentis hominis partes, & honeſti ciuis officia ſtudent proſequi, tantum alij abhorrerent à petulantia, & quicunque nominis celebritatem animo meditantur, nō malis artibus linguæ procacitate clarorum hominum lucem obſcurando, rectà graſſarentur ad gloriam, ſibique viam quandã, non pararent, violentia, ad nominis immortalitatem. Equidē nec mihi TRAIANI BOCCALINI pegaſei centuriatoris, virulentiſsima dicacitas, hoc honeſtiſsimo loco retundenda eſſet, & declamatorio vrgenda ſtylo (ſenatores ampliſsimi) nec IOANNIS GEORGII TRISSINI laudatiſsimi viri, celebritas nominis, & gloriæ amplitudo hac eruditorum concione à me in defenſionem vocaretur. Sed quoniã ille alter veluti Heroſtratus Epheſini templi incendiarius, præclari cuiuſque viri gloriam obterere, celebrem opinionem delere, lucem, ſplendoremque nominis obſcurare, petulanti linguæ volubilitate, lycambeo tyrſo incitata, importunus amator æternitatis, vſq; eò dicaciſsimę petulãtię homo conatus eſt, vſq; eò in principes quoſcunque viros furore maledicentiæ debacchatus, vt nullus adeò liberali animo, honeſta nominis fama, egregia virtutis, & præclararum actionum commendatione, vel princeps, vel heros, vel litterarum candidatus, celebretur à poſteris, nullus adeò ſonanti rumore famę eruditus, iuſtis plauſibus, & acclamationibus circumſonet poſterorum, quem iſte, neſcio de quo gurguſtio deuocatus, qua in gannea innutritus, rabula, locutuleius, ſuis illis aganippęis adlatrationib' nō proſciderit. Quēadmodum illi in mortuos collibuit libidine alienę famę detrahendi, doctiſsimorum hominum manes conuicijs impetere, & cùm mortuo Protogene, vt adagio fertur, bellũ gerere, ita mihi liceat, iuſta indignatione, tàm multis præclaris, tàm illuſtribus viris, in gloriæ, famæq; diſcrimen ab vno veteratore vocatis, hac veſtra luce honeſtiſsimę coronę, hac nobiliũ adoleſcentiũ Academia GENERO: præferuido quale Promeretur orationis

VIgeſima tertia Declamatio Oratoria hæc eſt ex ijs, quas texuit FRANCISCVS RVGERIVS, vir eloquentiſſimus: eam Venetijs habuit Clariſsimus adoleſcẽs Antonius Maurus Aloyſij fil. in Academ. Generoſ. anno 1620: nono Kal. Maias, & furtim ſurreptam edi curauit, ſed inſcio auctore, Olyndrus Triſsinus nobilis Laudenſis, auitæ nobilitatis, & virtutis vindex.

Digitized by Google

# TRVTINA
## DELPHOLVDICRI TABELLARIATVS TRAIANI BOCCALINI.

SI quantum aliqui prudentis hominis partes, & honeſti ciuis officia ſtudent proſequi, tantum alij abhorrerent à petulantia, & quicunque nominis celebritatem animo meditantur, nō malis artibus linguæ procacitate clarorum hominum lucem obſcurando, rectà graſſarentur ad gloriam, ſibiq́ue viam quandã, non pararent, violentia, ad nominis immortalitatem. Equidē nec mihi TRAIANI BOCCALINI pegaſei centuriatoris, virulentiſsima dicacitas, hoc honeſtiſsimo loco retundenda eſſet, & declamatorio vrgenda ſtylo (ſenatores ampliſsimi) nec IOANNIS GEORGII TRISSINI laudatiſsimi viri, celebritas nominis, & gloriæ amplitudo hac eruditorum concione à me in defenſionem vocaretur. Sed quoniã ille alter veluti Heroſtratus Epheſini templi incendiarius, præclari cuiuſque viri gloriam obterere, celebrem opinionem delere, lucem, ſplendoremq́ue nominis obſcurare, petulanti linguæ volubilitate, lycambeo tyrſo incitata, importunus amator æternitatis, vſq; eò dicaciſsimę petulãtię homo conatus eſt, vſq; eò in principes quoſcunque viros furore maledicentiæ debacchatus, vt nullus adeò liberali animo, honeſta nominis fama, egregia virtutis, & præclararum actionum commendatione, vel princeps, vel heros, vel litterarum candidatus, celebretur à poſteris, nullus adeò ſonanti rumore famę eruditus, iuſtis plauſibus, & acclamationibus circumſonet poſterorum, quem iſte, neſcio de quo gurguſtio deuocatus, qua in gannea innutritus, rabula, locutuleius, ſuis illis aganippęis adlatrationib' nō proſciderit. Quēadmodum illi in mortuos collibuit libidine alienę famę detrahendi, doctiſsimorum hominum manes conuicijs impetere, & cùm mortuo Protogene, vt adagio fertur, bellū gerere, ita mihi liceat, iuſta indignatione, tàm multis præclaris, tàm illuſtribus viris, in gloriæ, famæq; diſcrimen ab vno veteratore vocatis, hac veſtra luce honeſtiſsimę coronę, hãc nobiliū adoleſcentiū Academia GENERO: præferuido quale Promeretur ora-

tionis genere, fœdiſsimam iſtam Boccalini linguã refoſſam, & adhuc oblatrantem conficere, & Ioannem Georgium Triſsinũ virũ de bonis artibus, de iſtis, quæ maximè colimus ſtudijs humanitatis præclarè meritum ab illiberali impoſtoris calumnia, vindicare. Quod ſi mihi à veſtra humanitate breuiſsimi tẽporis ſpatium ad dicendum his vindicijs impetrabo, perficiam èquidem, vt ſi minus acriter Boccalini dicendi petulantiam fregero, minus grauiter Triſsinum à conuicio deturbauero, illum ſaltem referam fructum ſuſceptæ defenſionis, quod vobis iudicibus, viri eruditiſsimi, hoc patrocinio, tàm bono, tàmq; æquo ſtudium meum ergà liberales artes, & eos, qui diſciplinas maximis ingenij monumẽtis exornarũt, declararo, ac propenſam in Triſsineam familiam, ære, & cera nobilem, heroum parentẽ nunquam effœtam, oſtendam voluntatem. Atq; vt primo cauſæ congreſſu cognoſcatis, quod me ad Triſsini defenſionem conſilium compulerit quàm iuſtum, quàm graue; retexenda eſt ea narratio, quã nouus hic Timon Phliaſius ſillorum ſcriptor Boccalinus momorum, & criticorum vibex, vt Triſsinum, hominẽ in politioribus litteris, politiſsimũ, in diſcrimen exiſtimationis vocaret, nouo illo planè menippęo ſcribẽdi genere, ad obſtruendam præclarorum hominum gloriam, ad obtrectandum concinnauit. Enim vero, Auditores, Traianus Boccalinus, vaferrimus, & ſagaciſsimus homo, ingenio ad maledicendũ comparato, quem natura ad dicacitatem conformauit, vſus, & iugis Petri Aretini lectio ad ſatyricos, & hiſtrionicos ſales perfecit, vt nullus eſſet in republica litteraria adeò illuſtris, & egregijs monumentis ingenij clarus, cuius ipſe gloriam, comico aliquo ſcommate, mimicoque conuicio non obſcuraret, Triſsinũ, tantum omni litterarum genere, & ciuilis hominis virtutibus clarum, quantum ſcenicus iſte Batyllus Boccalinus maledicendi claritate nobilis, pegaſea in vincula, ab Apolline illius Reipublicæ commenticiæ principe detruſum, ſumpto ſibi per iocum philaciſtæ Pegaſei officio, quod ſeriò, & lucri cauſa, in Romana curia Capitolina ſuæ primo iuuentutis tyrocinio exercuerat, comminiſcitur: Iniquum nè, ſceleſtum, an nepharium inuentũ indoleam Auditores? ſed prius cauſam detenti in vinculis clariſsimi hominis accipite. Ea nimirum confingitur ab hoc nouo

Momo

## III.

Momo mendaciorum mancipio nuperrimo omnium critico, & veſano vellicatore actionū, vt nihil potuerit fœdius ad obſcurandā hominis gloriā cōminiſci, nihil indignius, nihil quod magis dicaciſsimi hominis morbum, & inſaniam detegat, qua fanatico quodā impetu, vt in quemq; maledicendi licētia ſuis illis commētis debacchetur, vndiq; extortas, vel delibatas, cum non habeat vltroneas rationes, conquirit. Scilicet bellā, & elegantē ille inter multas deridiculas narrationes, & effœtas anileſque fabulas Ioanni Georgio Triſsino homini litteratiſsimo ſycophantiam inſtruxit.

*Multum illū ære alieno oberratū, carceribus Pegaſeis, à fœneratoribus addictum* cōminiſcitur, *quod adeò decoxerit inſanos ſumptus in illuſtranda Italici ſermonis orthographia cauſatur. Apollinem dum carceres illos luſtraret, hominis clariſsimi vicem, infortuniū graue indoluiſſe narrat; enixè fœneratores rogaſſe, Ioannem Georgium aſſererent in libertatē, quinq; nummorū aureorum menſtrua ſolutione: immaniſsimos verò illos homines acerbius deſæuiſſe, qui edixerint, vel permutuatam pecuniam ſeuero iure perſolueret, vel facultatū ceſſione viridi galero ſe ſe catamidiandum daret. Quorum reſponſione cum Apollo acerba indignatione incanduiſset, acriqúe obiurgatione perculiſſet, recreatum Ioannem Georgium tanta Principis humanitate, & ſpe erectum, aſſerit ab Apolline facultatem inſtituendi Equitatus ordinem poſtulaſſe, quod ſperaret, ſe inſtituti à ſe ordinis Bullis, oppidò ſuis creditoribus ſatisfacturum. Sed à Muſarum Principe riſu acceptum, & amandatum.* Raguag. XC Cent. 1.

En artificioſam, Auditores, Triſsino laudatiſsimo viro per facetiarū, & ſcommatum verſutiſsimas ambages illatam cōtumeliā; en ſatyricam nebulonis Boccalini cuſpidem, in hominē omni cōmendatione digniſsimū euibratam, en exerta linguæ Archilocheæ nouacula, En viri litteratiſsimi, & honeſtiſsimi famā nouo à Menippo ſatyrica mordacitate proſciſſam, en vipereo ex ore exerta toxicata ſpicula in heroicæ ethruſcæ poeſis parentē. Intelligitis, opinor, quò ſales, & ſcommata ſpectent elaboratæ narrationis, quò aconita, & ſpumæ cerbereæ hominis maledicendi artibus inſtructiſsimi dirigantur. Nimirū duo obiecit, ſatyrico morſu, ſtator parnaſsius Boccalinus, duo exprobrauit, quibus Triſsini gloriam denigrare concepit.

Cognoſcitis primo Ioannis Georgij Triſsini præclaram in-



Digitized by Google

duſtriam,qua Italicum characterem nouo litterarũ additamẽto illuſtrauit,in inuidiam eo nomine vocari , quod inuenti felicitatem infelix euentus eluſit: Deinde temeritatis,vel arrogãtiæ notam moderatiſsimo,ac prudentiſsimo inuri; quod nobiliſsimũ aurei velleris phroenoſchema ( impreſiam Itali appellant) ſibi vindicarit, gentilitioque ſtemmati appoſuerit. Hæc duo ſunt,quæ digna, Boccaline cynicorum omnium callidiſſime,tuo illo aculeato ſtylo videbantur, quò gloriam præclariſsimi hominis,præſtantiſsimi Poetæ vellicares , & ſibilis protereres. Hic exacuere illam ingenij tui cuſpidem,hic nouam maledicentiæ aperire lanienam, hic ambitioſè tui excitare admirationem,nominiſq; celebritatem à poſteris aucupari, peracuti, & dicacis laudem comparare, quem nemo dicacitate, ſalibus,dicterijs,poſsit antecellere, dum bellè adeò noſcis innocentiam ream facere: gloriam in infamiam, honorem in dedecus laudem in ignominiam, encomia in irriſionem traducere; hoc eſt in honeſtate turpitudinem, in claritate obſcuritatẽ, in luce tenebras adinuenire, cum ſplendida quæq́ue ſiue præſtantiſsimorum principum facta, ſiue doctiſsimorum hominũ ſtudia, chærileis deformationibus oblinis, & tetris,ac putidis conſpurcas nugis. O præclarum hominum cenſorem, ò inſignẽ Ariſtarchum,ò criticum oculatum,ò ſolertem delpholictorem. Sed antequàm ſpiculum hoc accuſationis conuellam,& inſtitutam defenſionem aggrediar,date veniam, Auditores, vt primũ de Boccalini,tum de Triſsini laudibus dicam; ex hac enim cõtentione cognoſcetis non ſolum tantum fuiſſe in Triſsino virtutis, pudoris,laudis,quantum in ſannione illo heliconio Boccalino audaciæ, amarulentiæ, garrulitatis, ſed etiam maximam mihi ad ſuſceptam defenſionem perſequẽdam lucem oboriri.

Verum antiquam obtrectatoris Boccalini familiam, ſeriemque maiorum,hoc loco minimè mihi luſtrandam cenſeo, quã ſi obſcuram eſſe dixero, nulliſque laudabilibus heroum, quos eduxerit triumphis, glorioſam, iure ſe à fumoſis imaginibus auorum gloriam non repetere contenderet ludius Boccalinus, qui propria claritate reſplendeat, & in familiam ſatis amplum ipſe intulerit ſplendorem illis, quæ poſteritati reliquit ingenij monumentis. Romanæ nobilitatis cenſu nobiliſsimam,& anti-

quiſsimã familiã BECHALINAM adinuenio,cuius gentilitiũ ſtẽma Arietis ſigno coruſcabat; ſi Boccalinus alienę famæ exeſor, ſuos auos, atauoſque in hac luſtrat,iure equidem cum cæteris romanis familijs antiquitate clariſsimis,de nobilitate cõtẽdit. Sed quo infortunio,qua reflãtis fortunæ procella Bechalinæ gentis illuſtre nomen nobilium Albo conſignatum literæ commutatione neglexit? Cur ſimbolum illud felicitatis Ariete expreſſum in Paſtomidem,quam veterinarij,& mulomedici ad coercendam equorum ferociam adhibent,ſuo in ſtemmate cõmutatũ? Vtinam ſatyricã illam ſuã, & mordaciſsimã linguam huiuſmodi retinaculo cohibuiſſet, & taciturnior pythagoreis extitiſſet,ſapiẽtiſsimi Demoſthenis angina cõtentus;ſed ſi nobilem ex hac exortum garrulum hunc agyrtam Boccalinũ prędicauero, non obſcura,vel ſordida, ſed clara, & honeſta progenie laudatiſsimos per ſurculos ad ſeipſum vſquè traductam, verebor ne ipſe poſtèa eiuſdem infortunium, ea cõmemoratione deplorem,quod in familię claritate ipſe ſolus obſcurus futurus fuiſſet,niſi ſalaciſsimi ingenij præſidijs nouã architectatus maledicẽtię rationem,ſeù potius obſoletam, & antiquatam renouans,ad eamque egregiè accommodatus,& factus,ſibi aditum ad nominis æternitatem ampliſsimum patefeciſſet. Nam hunc cũ primis adoleſcẽtiæ annis in Capitolina Romana curia inter gregarios mediaſtinos,& infimi mox ſubſellij ſcribas,tenui lucello, & vili mercedula victum comparaſſe recognoſcam, cum deinde benigniori fortunæ afflatu velificante Bonifacij Cardinalis Caietani,beneficentiſsimi Principis humanitate illectũ, maioris lucri cupiditate,prętturis nonnullis extra Vrbem geſtis partam honeſtis prouincijs pecuniam, quæ ad toleranda ſenectutis incõmoda ſatis fuiſſent, eũ ſiniſtro Hercule in meritorijs tabernis,& fædiſsimis ganeis prodegiſſe recenſebo;cum Lyaeo magis, quã Lyceo oblectatus quotidiano luxu pergręcaretur, tùm demùm eiuſdem miſerrimæ ſenectutis inopiam reuocabo, qui ad hanc noſtram Vrbem magna ſpe plenus,& callida conſilia animo meditatus,tanquam ad ſanctiſsimum ingeniorũ Aſylum confugerat, vix parabilem popinalibus ſuis, & meritorijs Centurijs poſt multas paraſitationes attritis, exeſiſq; gnatonũ more, multorum menſis, victũ conquiſierit, de iniqua,& æſtuaria

Paſtomis Boccalini inſigne.

ria Traiani decoctoris fortuna maximè dolendum erit, quæ ad Telemachi ollam eũ deduxerit, & in domeſtico luxu permiſerit eſſe ſordidatum. Itaque mittam de familia, & externis fortunæ bonis dicere; ad bona animi, ad ingenium, ad eruditionem, in quibus de excellentia, & dignitate auderet ſcurra delphicus Boccalinus cum Ioanne Georgio grauiſsimo viro contendere, me conuertam. Atquè cum mihi certa velut indagine iſtius ingenij, & eruditionis diuitiæ explorandę ſunt, video per iocoſam illam mythographiam, & Centuriarum ſyluam, ſi excurram ſolum, ſeſe omnes delicias, virtutes, animi ornamenta tanquã tabula viuacibus coloribus delineata explicari. Itaque in Traiano mimo pierio hiſtoricum, circulatorium, ſcurrile ingenium commendabo, in omnibus maledicentiæ generibus amoenum colam: acumen eximium ad facetiarum lepores captandos, ad Veneres dictorum accommodatam mentem; ad ſcommata animum comparatum, extollam ſtudium in comicis ſalibus, induſtriam in ridiculis, diligentiam in iocis, & phaleratis nugis, mira ſententiarum grauitate, & aſciticijs lenocinijs reſpergendis, quæ ille verborum pondere adeò tẽperauit, vt feſtiuitate delectarent, aculeo percellerent, orationis vbertate, depaſcerent. In omnibus autem adeò excelluit, vt quod Plauto comędiarũ ſcriptori feſtiuiſsimo, adſcriptum elogium ferunt, eo defuncto Riſum, & Comędiam illacrymatam, iure ad noſtrum Appollineũ tabellionem Boccalinum liceat transferre, huius tumulo ſcommata, ſales, facetias, ridicula, Veneres dictorum, lepores, iocos omnes fuiſſe cõtumulatos. Sed quid ego ſatyrã prætereo? quid aculeatos morſus, recriminationes ſicophanticas, lycãbeas cuſpides, ĩãbicos thyrſos, menippæa conuicia, hypponactea præconia, meſonica dicteria, virgulam criticorum cenſoriã, plagiariam ferulã, inurbana adiurgia, qua Principes, & eruditos omnes feſtiuo illo dicendi genere malè accepit. Quid lucianã linguam, quam egregiè inflexit habeo in poſtremis? Quid reticeo, quàm in omnibus feſtiuo ſale carpendis ſe nauum, & induſtriũ hominem declararit? Equidem, Auditores, patentiſsimũ mihi laudationis campum video, ſi in ſingulis inſiſterem, eſſe ad Boccalini veteratoris, & procacis hominis ingenium extollendum, patefactũ. Et quamquam me neſcio quo auctore diſsipatus rumor

mor hoc loco inrerpellet,aureſque conuellat,qui tantam gloriā homini ingenioſiſsime inuideat;dū editas à calumniatore Traiano Centurias,Ioanni Franciſco Perandæ,quē iſte grati animi ſignificatione epiſtolographos dicterijs ſugillās, multis euehit laudibus, magna cōfidentia adſcribit,qui illo apud Henricum Cardinalem Caietanum muſarum ſacrario,eruditorum contubernio,dum ingenij cōtentione,cum alijs pręſtantiſsimis illius Aulæ viris decertaret,ſubſeciuis horis,eo ſcribendi genere,argutiſsimum illum Poetam Caporalē, omnium horarum hominem imitatus,colludere ſoleret; noſtrū verò malè feriatū Boccalinum,qui alienis laboribus famā ſibi conciliare, & in alienū aceruum metere probè noſſet, furacem ſolum prædicat, quaſi alterum æſopicum graculū collectorem: attamen nolo tàm iniquo eſſe animo,vt inſignē adeò contumeliam patiar inferri homini maledicendi feſtiuitate claro,ingenioſiſsimo ſatyrarū architecto, acutiſsimo alienæ gloriæ vellicatori, inſigni noſtrorū temporum Ariſtarcho,nobiliſsimo Archilochi diſcipulo, Aretino ſuppari momorum anteſignano,nouo Roſcio hiſtrioni;nō patiar, non feram tantis vigilijs exſudatas hiſtrionicas Centurias, tàm bellè elaboratas elucubrationes, tàm præclara ingenij monumenta,tantam gloriam, laborioſiſsimis ſcriptis comparatam, ab inuido forſam homine obſcurari. Nolo hominem hunc dicaculum, & phæbeium ſatellitem ab occupata maledicentiæ poſſeſsione deturbari: Traianus plagiarius collegit nè tantum eruditas adeò, elegantes, & aculeatas, feſtiuas Centurias Pegaſeas? nihil adiunxit? non exornauit ſaltem? quin confidentiſsimè contendo, vnus ingenio, eſt omnes commentus, vnus elucubrauit, bellè concinnauit, egregiè confecit. Ergo etiam illas in Tacitum politicas animaduerſiones innumeris protagoreorum potius,quam politicorum dogmatibus farcinatas, quas ne ederentur in vulgus prudentiſsimi Catholicæ fidei Quæſitores interdixerunt huius eſſe feliciſsimi ingenij partus monumenta doctrinæ pernegabimus? Ergo ſcommata illa metro Italico ſcripta, quæ pro epicedio, & elogio nobile illud Traiani Boccalini maſtigiæ,ſine funalibus funus,& ob miſerrimam inopiam defuncti, ſola veſpillonum pompa celebratas in ferias honeſtarunt, quæ omnium vocibus circumſonant, om-

nium linguis circumferuntur, & Boccalinum ipſum Diagoræ Mileſij fidum diſcipulum, & aſſeclam ſtudioſum moribus màgis, quàm ingenio deprædicant, mendacia dicentur? Ergo illa maledicentiſsima Centuriarum volumina, & calumniarum ſylua Perandæ aliorumuè doctiſsimorum hominum, non ſatyricũ Zoili Boccalini ingenium redolebunt Sed de hoc Heliconio ergaſtulario, & delphomimo ſatis: nam me ad Ioãnem Georgium Triſsinum propè conuicio accerſit oratio, Auditores.

Deſiliendum nunc, eſt veluti è præcipiti, exeſo, & confragoſo loco, in apertam, & ſpatioſam planitiem, amplo, amenoque coniectu inter virentes florum, arborumque apices ſumma elegantia diſpoſitas apricandum, dum de Ioannis Georgij Triſsini laudibus, eſt dicendum. Bone Deus, quàm variæ ſunt hominum voluntates, atquè ſententiæ, & quàm diſcrepantia conſilia, quàm diuerſi ad gloriam ingreſſus, quàm diſtincti euentus, quàm diſtractæ progreſsiones cum mihi nugatoris, & plagigeri Boccalini, & Ioannis Georgij Triſsini grauiſsimi, & modeſtiſsimi viri ſtudia, officia actiones propono. In Triſsino cuius gloriam iſte virga, illa Ariſtarchi cenſoria, in iudicium eruditorum vocare conatus eſt, omnia ad nominis immortalitatem conſtantia, vno, laudabilique ſemper tenore reſpondent, familiæ genus nobiliſsimum, ſuſcepta vitæ ratio honeſtiſsima ſtudium commendabile, rationes laudabiles, bona animi affluentiſsima, officia hominis prudentiſsimi, fortuna quantum nè quiſquam alius votis concipere poſsit, qui moderato ſit ingenio, feliciſsima; trophæa ad nominis celebritatem comparata glorioſiſsima, monumenta gloriæ poſteris relicta, vt in virtute, & honeſtate collocata, ita ad æternitatem conſtabilita. Atque ſi primum à gentilibus familiæ libet repetere Ioannis Georgij claritatẽ, èquidem, Auditores, mihi rerum humanarum momẽta perpẽdenti, cum me ipſum colligo, & clariſsimæ familiæ antiquitatẽ, gentiles heroes, monumenta laudis, ad vltimam vſq; præteritarũ rerum memoriam cogitatione reuocata relego, illud occurrit inter cętera admiratione digniſsimum, adeò omnibus hanc veræ, ſolidęque nobilitatis nominibus excellere, vt cum habeam plurimas, quibus Triſsineam conferam, nullam, quam anteponam confidentiſsimè cognoſcam, me non habere.

Tres omninò ſunt gradus,quibus familiæ genus,ſuos in gentiles , ſolet ſplendorem transferre , & tranſmittere nobilitatem . Primum occupat prolixa annorum ſerie,multis confirmata ſæculis, longa vetuſtate nobilitas propagata. Secundum præſtantium heroum numerus. Tertium virtutis genus , quo gentiles , familiæ gloriam pepererunt militari ſtudio, litterarum laude, & religione diſtributum . Quolibet ſe maximè confirmat gradu , nobiliſsima Triſsinorum familia , vt cum primordia repetit claritatis , quando vltima recurrit annorum tempora , nunquam progreſsionibus ſæculorum ſentiat ſplendori tenebras offuſas, aut ſilentium impoſitum nominis celebritati . Meminiſtis , opinor Auditores , quàm celebres extiterint *Τροιζήνιοι populi in ipſa Cherſoneſo ſiti (Trœzenij *Triſſinij
à Latinis dicti ſunt) atticæque ſocietatis cùmprimis illuſtres illo præſertim tempore , quo Xerxes in Græciam traiecit, pubem enim ſuam Athenienſes barbarico obruti bello , Trœzenijs alẽdam, ac liberalibus artibus erudiendam tradidiſſe,retulit Plutarchus in vita Themiſtoclis. Ab his Triſsineæ familiæ gentiles, nobilitatem ſuam traductam agnoſcunt, & prædicant : Achilles enim Alcaſto , & Erycina Athenarum Duce genitus,ſigna Beliſarij in Gothica expeditione ſecutus ſub magno Imperatore Dux impiger,pulſis è Venetis oris Gothis,gẽtilitium ſtemma,& patrios lares à ſæuiſsimo Odoacre Gothorum Rege, quondam eiectos,& pulſos,Vicentinæ, & Laudenſi ciuitatibus reſtituit. Quòd ſi antiquitas generis aliquid adfert ad nobilitatem momenti, Triſsinea decertat adeò cum plurimis, vt quàm pauciſsimas cognoſcat antiquiores: atque eò nobilior cenſenda eſt, quod nunquam intermortuam gloriam rurſus excitarit , ampliſsimo heroum numero ſemper celſiorem . Quod enim virtutis genus tàm commendatione dignum eſt? quæ laus tanta omnium acclamatione celebratur? quod ſtudium cuiquam dignitatem, ſplendorem , famãque conciliat, quo ſe Triſsinea familia , non iactet excultam , celebratam, exornatam? quid verò vlla alia celebrior habet , aut in præclararum rerum memoria ſingulare, aut in nominis celebritate rarum , aut in conſignatis memoriæ poſterorum virtutis monumentis tàm celebre , quo non ſit beatiſsimè cu-

mulata? Hæc publicas tabulas virtutis gẽtilitiæ, & gloriæ pręcones habet, quas proferat non paucas. Hæc inciſa heroicæ laudis monumenta omnium conſenſu ciuium, & conteſtatione populorum oſtendit. Hæc elogia, hæc equeſtres ſtatuas, hæc trophæa oſtentat, innumeraſque heroum imagines quocumque virtutis, dignitatis, gloriæ faſtigio inſigniter illuſtres: Hoc vno admirabilior cęteris, dum cum alijs confertur, quod alias vno gradu conſtitiſſe ſatis eſt, vnde gloriam trãſmiſerint in poſteritatem, ſcilicet vel militari laude, vel regenda Republica, vel legationibus obeundis, vel litterarum ornamentis, vel demum pietate, & religione inſignes illuſtraſſe. In Triſsinea vero, & ſingula commendãtur, & omnia, & adeò honeſto celebrantur præconio, vt æquè ſit in omnibus, quàm reliquæ familiæ in ſingulis glorioſa.

Sauinam ciuem Vicentinam, & Laudenſem, dum ſuos cenſet Gentiles habet Triſsinea familia, quam referat in teſſeram primo loco nobilitatis: Sauinam illam dico, ſanctarum viduarum albo adſcriptam, quæ primis illis temporibus, cum Apoſtoli Euangelicæ doctrinæ ſatu copioſam ſementem feciſſent, & in hunc agrum primis germinibus vernantem ſæuus immiſſus Aper eum fœdiſsimè deformare conaretur, gladius ſcilicet Tyrannorum, Chriſti martyrum ſanguine crudeliſsimè maderet, Laudæ Sanctitatis laudem nullis intermorituram ſæclis, familiæ gloriam comparauit. De qua nè longius ferar, illud attentione hac veſtra digniſsimum eſt, quod ſanctiſsima mulier rorem Chriſtianæ pietatis affluenter adeò in ſinum exceperit, vt cœleſtibus deinde diuinæ gratiæ imbribus perfuſa fructus inſignes ediderit charitatis. Sæuiebat impius, vt dicebam, mucro in eos, qui Chriſto Domino nomen dediſſent, quo tempore Sauina mortalium militabat in regno. Sęuiſsimis tormentis excruciati paſſim contrucidabantur: inter cętera verò efferatæ crudelitatis ſpectacula, illud penè horrendum, ac immane videbatur, quod non vbique ſolum lanienæ humano ſanguine defędatæ in oculos incurrerent, ſed paſsim obtruncata capita, articulatim conciſa membra, reſperſa buſtis arua, inhumata cadauera auibus, feriſque proiecta, horribile humanis oculis ſpectrum impietatis exhiberent. Hic igitur Sauina

Lacænis

Lacęnis animoſior, cuius pectus diuinis æſtuabat flammis, maſculo animo, impauida colligere nocte ſanctiſsimas victimarum Chriſti reliquias, honeſto loco contumulare, tanto ſtudio incępit, & animo, nulla vt Prætorum edicta à ſuſcepto conſilio pietatis dimouere, non pericula percellere; non difficultates retardare potuerint, quin humandis ſanctorum martyrum corporibus ſibi lauream cœlo contexeret immortalem. Hæc parentalia ſacris Martyrum manibus, hæc ſilicernia, quibus pauperes refocillaret, ſecretis in ædibus parabat; Hæc illorũ præfica, quæ non mortis infortunium deploraret, ſed vitę ſempiternæ felicitatem gratularetur: non nænias, non threnos, lugubreſque elegias, ſed hymnos genethliacos, quibus natalẽ diem, & cęleſtes Chriſti Martyrum caneret triumphos, domeſticum in conclaue, vbi expoſita ab impijs corpora detuliſſet, ſacrum funus peragebat.. Sed non pigeat hoc loco, quando periucunda incidit occaſio, admirabilem planè de Sauina ſanctiſsima vidua, retexere narrationem. Nauabat inuictiſsima animi virago operam hanc, Chriſti Martyrum humandorum diligentiſsimè, quà Laudę, quà Mediolani contumulabat, & iuſta perſoluebat Sanctiſsima. Ergo cum fortiſsimi duo Chriſti Milites Nabor, & Fęlix, chriſtianam militiam ſanguine cõſignaſſent, iugulata verò cadauera inhumata iacerent, vbique prętorianæ iacerent excubiæ, difficileque eſſet, Laudæ, tam vigili cuſtodia ſepulchro condere, anxia Sauina, vbi ea intempeſta nocte ſuſtuliſſet, iubet carpentum phaleratis mannis expediri, in hoc ſacra buſta quanta poteſt ſedulitate occultat, eoque conſcenſo rectà Mediolanum tendere imperat vernaculo Aurigæ. Vix oppidi (Legnano tunc nomen erat, nunc mellis miraculo Melegnanum dicitur) in conſpectum ſe dedit, cũ vigiles cuſtodes, iubent inſiſtere, quò pergat, quid ferat contumaciſsimè explorant. His diuinæ Sauina plena confidentiæ ſe Mediolanum maturare, melliſque dolia ſecum deuehere reſpondet: tum illi militari inurbanitate inſolentius ſciſcitari, ſacrum viduæ furtum contrectare curioſius pergunt, cum ecce diffluere liquidiſsimo melle carpentum vident. Porrò Sauina diuinam bonitatem demirata, verum militibus ediſſerit, reuelat ſacra pignora: illi miraculum non tàm mente admirabunda, quã

da, quàm pia concipiunt, Sauina Chriſtianæ fidei faces præferente, profanam militiam protinus eiurant, cęleſtiq; ſacramento Chriſtianæ militiæ adſtringuntur. O facinus inſigne; ò dignum immortalitate pietatis monumentum; ò viduam verè dignam, quam ſacras ad aras deuocatam, Ambroſiana Eccleſia proſequatur, cuius corpus honeſtiſsimum in locum, S. Frãciſci in Templum, poſt mille, & trecentum annos, à S. Carolo Borromeo translatum, cum incorruptum reperiretur, & ſanctiſsimæ Viduæ integritatis auctoramentum fecit, & Triſsineæ familiæ trophæum renouauit. Non minorem ſibi peperit laudem Sanctus Fœlix, Triſſinij ſtemmatis materna clarus progenie, vt priſca referunt eiuſdẽ familiæ monumenta, cuius glorioſi agonis memoria, in faſtis Romanę Eccleſię, tertio Idus Iunij celebratur. Hic enim dum Chriſtianam pietatem veneraretur, & coleret, à ſæuiſsimi Diocletiani lictoribus, è patrio Vicentino ſolo diuulſus, Aquileiam pertrahitur, laniatibus adigitur, acerrimis vrgetur tormentis, ſed dum fidei tectus præſidio, Tyranni conatus eluderet, ab impio Iudice capite damnatus, ceruices conſtanti animo carnifici tradidit, & glorioſo perfunctus martyrio, lauream tryumphalem in Cœlo promeruit. Mittam alios, quorum pietas, & religio, vt inſignis enituit, ita maximum peperit familiæ ſplendorem; eorum tamen memoriam ſilentio obruendam non arbitror, qui in eadem ciuitate Laudę, vbi diù verſata eſt Sancta Sauina, Deo, diuisq; templa excitarunt, hos inter eminet Martinus, qui nobile phanum ſuæ religionis monumentum, Sancto Martino, quod hactenus in Treſsino dicitur exædificauit, diuitijsque iurepatronatus auctoratum quamplurimis ditauit, cuius pietatem eius Gentiles ſecuti, tria alia templa liberali munificentia ibidem erigenda curarunt. Anteuerterant nihilominus Martini, cæterorumque pietatem ij, qui Vicentiæ degebant è gente Triſſinea; Ingens enim templum Archangelo Michaeli extruxerunt, quorum vetuſtiſsima ſtemmata in paraſtadibus ſtructionis arcuatæ aræ maximæ, adhùc viſuntur; excelſiore tholo annis præteritis à religioſiſsimo, & eruditiſsimo Comite Galeatio Triſsino, & ob multos quos texuit, & edidit in ſacram ſcripturam commentarios celebri viro inſignitum. Extant,

tant, & in veteribus ædificijs Eccleſiæ SS. Philippi, & Iacobi Patrum Congregationis de Somaſcha Triſsineæ familiæ antiqua inſignia, Longobardorum characteribus exornata, extãt ſacella, aræque innumeræ, quæ fidem aſtruunt; gentem Triſsineam, vnà cum nobilitate, perennem ad poſteros ſanctitatem tranſmiſiſſe.

Iàm mihi ſecundo loco recenſenti, qui literarum laude floruerunt, quàm ſpecioſa ſeries luſtranda in mentem, oculoſq; occurrit. Habeo multos, habeo inſignes, habeo quocumque literarum genere celebres, quos in Triſsinea familia diſciplinarum laude triumphantes, iure omnis poſteritas demiretur. Prodeat primus omnium Albertus, inſignis ille Taruiſij Antiſtes, & Ordinis Minorum, & Triſsineæ decus familiæ, cuius præclaras, & nullo æuo reticendas laudes, metro, & marmore exarari Taruiſini ciues curarunt, & ob profuſos ſumptus diuitis agnòmine decorarunt. Prodeat Manfreddus, qui Vicentinæ præfuit Eccleſiæ, multis exornatus elogijs, & elatus laudibus, ob egregiè nauatam operam in regimine epiſcopali. Non minore laude dignus cenſendus eſt Iacobus Cęleſtini ordinis canonicus, qui ſanctiſsimis moribus, & doctrina effulgens, cęnobium ſuæ Congregationis patribus, gentilibus ſuis annuentibus, & fauentibus, non pròcul ab vrbe Vicentina extruxit, quo in ſeceſſu, inſignis ille Præſul B. Laurentius Iuſtinianus, & magnus ille Rom. Eccleſiæ Pontif. Eugenius IV. perdiù vixerunt. Prodeat demum Bonauentura Ariminenſis Eccleſiæ præſul, qui munificentiæ, & pietatis exemplis, & platonica cyclopædia reſplenduit. Poſt hos ſanctiſsimos Antiſtites, magnus ille ſeſe mihi offert Diolacora, qui alter veluti Solon, vel Lycurgus, municipales leges ſcripſit Vicentinis, quique obeundæ etiam legationis onus apud Cæſarem, Romę tunc commorantem, pro patria ſuſcepit, cui pro ciuibus ſuis fidei iuramentum præſtitit, ſubſcriptaque chyrographa, antiquitate verenda, in pluteis tabularum Romani Capitolij aſſeruantur. Enituit poſt hunc Diolauantia vir prudentiſsimus, cuius eſt crebrò repetita memoria, in vetuſtiſsimis Vicentinæ ciuitatis publicis comitijs. Sed agite, Auditores, cum Aloyſij memoriam repetam, qui ſuæ ætatis ingeniorũ Phœnix om-

nium eruditorum approbatione eſt proclamatus, quam vobis facem proponam? In hoc enim ego non admirabile eſſe cenſeo, quòd problematum medicinalium libros ſex, mira eruditione, & elegantia elucubrarit, & ediderit, quòd publicus profeſſor Ferrarienſi in Gymnaſio tota Italia, Europaque percelebri, exedram magno nomine, auditorumq; frequētia occuparit, quod Giſnerus egregio elogio, in ſuæ Bibliothecæ teſſeram aſcripſerit, non inquam hoc magni facio, cū illi hoc commune ſit cum plurimis, illud admiratione dignum prædico, quod rarum, ipſa ferè raritate inauditum, incredibili in genij felicitate, eam conſecutum fuiſſe gloriam, ad quam alij vix confecta ætate adſpirant, cum quinto ſupra vigeſimum anno, quo omnium mœrore occubuit, excedens è viuis, vita feliciter honeſtis officijs, & laudibus cumulata, ſit adeptus immortalem hanc nominis celebritatem. Hic ego Hieronymi ſapientiſsima Iuriſprudentiæ reſponſa proferam? Achillemne produeam, qui poeticum ſtudium cum Iuriſprudentiæ laude ita coniunxit, vt cum in vtroq; genere celebratiſsimus eſſet, dubium reliquerit, quonā excellentius emineret. Hicnè (eruditiſsime GASPAR, quem honeſto hoc iudicio, & gentilis tui Ioannis Georgij contra maledicum obtrectatorem, aſſidere vehementer gaudeo) hicne Gaſparem Auum tuum, hic nè Alcaſtum patruum recognoſcam? quorum recentiſsima memoria, maiorum veſtrorum claritatem non intermori poſſe declarauit, dum alter Bononiæ, Vgone Boncompagno doctore, qui poſtea ad ſummi Pontificatus apicem euectus Gregorij XIII. nomen retulit, eos in diſciplina iuris, progreſſus fecit, vt cum inſigniter excelleret, ipſum Vgonem in admirationem rapuerit, & amorem. Alter vero Patauij primùm, tùm Bononiæ Laurea Doctoratus, ideò inſignitus eſt, quòd ob inſignem eruditionem, vtraq; ciuitas tanquam alterum Homerum, ſuū eſſe præclarum hominem, iurè repetere poſſe arbitrabatur. Hic meam ad te, eruditiſsime GASPAR, compelleres orationem, qui tuorum gentilium gloriam ità ſuſtines, vt tuam propè feciſſe videare. Sed conſultius, me conticeſcente, celebret Roma, quæ primos florentis ætatis ingenij fructus delibauit, dum in Collegio Clementino, auditorum frequētia, & acclamatione,

matione, te Ariſtotelem in rethoricis, & poeticis interpretā-
tem, demirata eſt. Celebrent nobiliſsimæ Italiæ ciuitates, qui-
bus eloquentiæ fontes ſacris concionibus aperuiſti, celebrent
Iuuenatienſes ciues, qui tuæ facundiæ viribus victi, Patribus
tui ordinis, ædes mira celeritate exædificarunt: Celebret Mi-
nimorum apud Barium congregatio, dum eloquentię tuæ fru-
ctum, in ſacris item concionibus in Archiepiſcopali templo,
toto quadrageſimali tempore, inſignis illa vrbs, & nobile to-
tius Adriatici maris emporium percepit, & pro Cœnobij eo-
rundem patrum ædificio, vnica exactione, ducentum nummos
aureos corrogauit: Celebret Neapolis, Genua, Cremona, alię-
que Italiæ ciuitates, & dèmum hæc ipſa vrbs, quæ tibi hoc an-
no, in frequētiſsima Diui Moyſis baſilica, in magni ieiunij nu-
perrimè elapſis diebus, celebri in ſuggeſto, concionanti ap-
plauſit, quo in templo magni nominis oratoribus, ad eam lau-
dem ſolùm patuit: celebrent Patres tui in Caſertana præpoſi-
tura, dū tenui, egenoq; cœnobio, vetuſtate collabentes ædes,
quæ vitioſis parietum rimis vbiq; inimicum excipiebant im-
brem, in maxima domeſticarum rerum inopia, & ſolitudine,
non ſolùm reſtitutas, ſed amœniſsimo etiam Pomario auctas
contemplantur, quin, & Templum vaſtæ molis, Iulij Antonij
Sāctorij Cardinalis Sanctæ Seuerinæ (cuius honeſtiſsima viget
recordatio) auſpicijs, & impenſis cœptum, poſt obitum eiuſ-
dem intermiſſum propter ædificij laxitatem, à te egregia ani-
mi excelſitate, quinque menſium ſpatio, magnis fornicibus
extructum, vtraq; parte periſtilijs, & medianis columnis, mar-
more exciſo, & expolito, ornatum vident, & diuino iàm cultui
conſecratum: celebrent ijdem in Genuenſi Præpoſitura, quod
templum Sancti Spiritus nouis Aris exorāſti, marmoreamque
B. Virginis ſtatuam excitaſti, & lararium artificioſæ picturæ
imaginibus, nouo in tua congregatione inuento, tuo ingenio
depictum extruxiſti, cum ibi eiuſdem Congregationis Patres,
ſanctitate principes, inſignibus elogijs à te houeſtatos, oculiſ-
que omnium expoſitos, ipſumq; demum Patrum domicilium,
multis inſtructum ornamentis reliquiſti. Hic tandem Roberti
eruditiſsimi viri, memoriam repetā, qui muſis omnibus æquè
charus, nō tàm numero, & rhythmo, latialis, ethruſcæuè poe-



Digitized by Google

ſis, quam harmonico fidium modulatu, peritiſsimus fuit, Ro
manæ certè curiæ delicium, ni in ſuæ iuuentutis flore, quinto
vix luſtro exacto, Tibure quò ſeceſſerat, in principũ Ateſtino-
rum Villa, omnium mœrore occubuiſſet, ſed luctum demortui
abſtergat Reuerendiſs. Serrani, Roberto, fratris ſuperſtitis, no
minis, & virtutis maieſtas, qui prothonotarij apoſtolici, inti-
mi cubicularij, & Edeatræ officijs, à Sanctiſs. Paulo V. Pontifi
ce maximo honeſtatus, in Palatina Romana curia ita effulget,
& eminet, vt in eo vrbs vniuerſa non modò in politioribus lit
teris eruditionem, & in Iuriſprudentia peritiam ſuſpiciat, &
colat; ſed animi mores candidiſsimos, religioſiſsimæ vitæ, &
Chriſtianæ virtutis exempla, & pietatem in egenos miretur
impenſius. Nec prętermittendum arbitror Reuerendiſs. Hiero
nymum, Serrani nepotem, bonarum artium florem, & ciuiliũ
legum, & prudentiæ ſacrarium, qui ab eodem ſummo Pontifi-
ce Paulo V. Rauennæ Vrbis Gubernator electus, eo in mune-
re, tantam ſibi peperit famam, & laudem, vt ciues illi gentili-
tia Triſsinorum inſignia, excidi, & pingi publicis in locis ad
eius nominis æternitatem, paſsim curarint. Omitto Petrum
Franciſcum poeticę laudis gloria clarũ, & architectandi ſcien-
tia celebrem, qui in Triſsinea familia lauream poetarum nun-
quã areſcere poſſe, & ingenia ſemper fęliciſsime floruiſſe de-
clarauit. Certè dum vos recolo, ſubit in mentem Oldradi gen-
tilis veſtri, quem vos hac ætate virtute, æmulatione, ſi non for
tuna, videmini exæquaſſe: hic enim Mediolanenſis ciuitatis
moderator renuntiatus, præclarè adeò eam prouinciam cala-
mitoſiſsimis Reipublicæ temporibus implicatam tractauit, vt
declaratam Mediolanenſium in fortunatiſsimum virum, & de
ciuibus optimè meritum animi propenſionem, equeſtri mar-
morea ſtatua, quam in mercatorum foro Mediolani adhùc cõ-
ſpicimus poſteritas veneretur, cuius inter cętera ornamenta,
illa recenſentur eximia, quod graſſantem hæreſim Catharo-
rum, qui & Credentes dicti ſunt, magno ſit ſtudio inſectatus,
quòd ſedulam Diui Petri martyris prædicatorum familiæ, in
deturbandis hæreticis ſua auctoritate, & decretis operam iu-
uerit, quà propter DEFENSOREM FIDEI publicis, quæ
adhuc extant marmore inciſis litteris fuiſſe videmus procla-

matum

Digitized by Google

matum,quo illuſtriori elogio, tituloue inſigniori, quem potentiſsimi huius ſæculi Principes expetiuere, potuit honeſtari?

Nec verò, vt ad tertium nobilitatis gradum accedam,Triſſineam familiam,Pallas minus in toga excoluit,quàm in ſago, non minus latum clauum illi,quam paludamentum conceſsit. Incurrit in mentem primùm ſtrenuiſsimus bellator Vectarus, qui à Grimoaldo Longobardorum Rege, foroiulienſium Ducaria dignitate donatus, celebri illo, ac penè prodigioſo prælio ad Natiſonem fluuium, ſclauos factionis ſtudioſos ingenti clade affecit, & pacem Italiæ,ſedatis bellorum tumultibus,ac diſiectis infeſtiſsimis barbarorum incurſionibus reſtituit. Incurrit Alexander,qui oppugnata cum maritimis Venetis Rauenna, longobardiſq; inuaſoribus exactis, nobiliſsimam vrbem efflagitante Roma. Pontif. Gregorio reſtituenda Exarcho curauit. Incurrit Nicolaus, qui à ſuis ciuibus, in magno Italiæ diſsidio, Vicentinæ vrbis Gubernator electus, mox ab Imperatore Henrico, pro quo fortiter contra Ardoinum militauerat, eiuſdem vrbis dominatum pro ſe,ſuiſque nepotibus obtinuit, maioribus poſtea ab Imperatore Conrado inſignitus honoribus, cuius rei, teſtes hucuſque ſunt, præter vetuſtiſsimas tabulas,conflati iiſdem temporibus,Cęſaris auctoritate, in Vicentina vrbe, argentei, aureique nummi, in quibus gentilitium Triſsinorum ſtemma cuſſum inſpicitur. Incurrit Meliorantia Comes Valdanei, Dreſseni, Corneti, & Charientę, bellator ſanè impiger, manu, & conſilio promptiſsimus,qui bellicos tryũphos poſteris recenſendos reliquiſſet quàmplures,niſi Actiolini Patauinorum tyranni,quem tuebatur neceſſitudo, egregium virum ab hac gloria importuna reuocaſſet. vicentinos enim penates ob id relinquere coactus, Veronam ad Actiolinum transfuga vita honeſtiſsimè perfunctus, etſi militiæ trophæa,non tamen virtutis bellicæ ſæpius declaratę commendationem, compreſsit, qua etiam in vrbe ponè templum diuæ Mariæ in organis ſacrum, erectum eſt ei ſempiternæ memoriæ,quod adhùc extat marmoreum ſepulchrum, & ornatiſsimum virtutis monumentũ.Sed Vguccionis Meliorantiæ filij,non eſt contegenda laus,qui à Federico II. Imperator ad quem,in magno patriæ diſsjdio cum Zufreddo fratre confugerat,

gerat, prætorianorum equitum ductoris munus obtinuit. Incurrit alter Nicolaus, & operum magnitudine, & nomine magnus, qui poſt exantlatos militiæ labores, exturbatiſque ex agro Vicentino, ſuiſque caſtris regulis Scaligeris, dùm honeſto in otio quieſceret, nobilem, & vberrimam ſoli eiuſdẽ partem, propè Alpes, Clampo, Agnoque fluminibus irriguam, quam à ſuis Auis, & Atauis, hæreditario nomine ſuſceperat TRISSINEAM VALLEM nuncupari voluit, cuius rei Agni fluminis accolæ, monumẽtum, quod hucusq; in Eccleſia ſancti Clementis viſitur, in lapide marmoreo excitarunt. Incurrit alter Ioannes Georgius militaribus clarus trophæis, qui caſtra omnia eiuſdẽ TRISSINEÆ VALLIS, pulſo Picinino magni nominis duce, Venetæ Reipublicæ Imperio adiecit. Incurrit Leonardus ſacri Romani Imperij Vicarius, & Maximiliani inuicti Cæſaris capitaneus Generalis, qui ſtrenuè adeò decertauit ad gloriam, vt mágis ipſe egregijs actionibus, & incorrupta fide, & quaſi alter Attilius Regulus, extrema etiam vitę periclitatione, adiunxerit muneri, quàm receperit dignitatis. Incurrunt poſt hos, quatuor illa fulmina Martis, cataphractorum equitum Duces, Ludouicus, Alexander, Nicolinus, Bonifacius: quorum primus, & militiæ laude, & poeticæ virtutis gloria præclarus, Muſas etiam, vèlut peltatas Amazonas, inter armorum ſtrepitus, victrices incedere poſſe declarauit. Alexãder verò in magno rerum venetarum diſcrimine, furentibus cameracenſis fœderis principibus, fide incorrupta, & magno animi robore dimicans, magnam ſibi beneficentiſsimi Senatus gratiam peperit, multoſque quos promeruerat honores obtinuit, tertius aùtem Nicolinus diro illo apud Bononiam conflictu, dum Gallica arma Italiam concuterent, ſtrenua dimicatione, hoſtibus patefecit, latiam virtutem, vel in captiuitate, nõ poſſe ſuccumbere. Quartus demũ Bonifacius, qui Nicopolim prius, mox Dalmatica in prouincia, binis cataphra ctorum alis, diuturno cõflictu conſtantiſsimè Caſtrum nouum oppugnans, ad deditionem coegit. Eo in bello, quo ſancito fœdere Paulus III. Summus Pontifex, Carolus V. Imperator, & Senatus Venetus, coniunctis armis, hoſtiles Turcarum iniurias propulſabant. Hic ego, quid Iacobum prætereo virũ

om-

omni commendatione digniſsimum, multis laudibus celebratum, ab omnibus ijs, qui partæ à noſtris apud Echinadas, de chriſtianæ fidei hoſtibus inſignis victoriæ trophęa, hiſtorico ſtylo, deſcripta reliquerunt. Cùm enim in triremem, quam gentiles ſui à ſacro illo fœdere excitati, ære proprio, pro fide, & patria armauerant, & ille trierarchi munus exercens tutādam ſuſceperat, Turcarum non vna, ſed plures ſimul triremes magna irruptione, impetum feciſſent, militesque ſui, hoſtium multitudine perterrefacti, animum deſpōdiſſent, ſolus è puppi nudato enſe, irruentes Turcas, tanquam alter Cocles repreſsit, plurimis trucidatis, deturbatis alijs in profundum, & ſi vnum Iacobi iugulum petebant omnia hoſtium tela, eorum tamen conatus fregiſſet, niſi tormenti bellici ictu petitus, triumphantium in cœlo militum copias, ſuo interitu auxiſſet. Neque verò dicam, quàm multos Belgium, illa noſtrorum temporum ob acerba, quibus aſſiduè vexatum eſt bella, militiæ exercitatiſsima palæſtra, Triſsineæ familiæ bellatores educarit; Marcum enim Antonium reticeo, bellicis militiæ laboribus innutritum, qui ob incredibilem rei militaris ſcientiam, felicitatem, auctoritatem, inter bellicos Sereniſsimi Principis Archiducis Alberti conſiliarios adſcriptus, prudentiam in conſilijs, fortitudinem in periculis, ità declarauit, & fidem, vt deuotum catholicæ maieſtati caput, dum perduelles à Sluſana obſidione auertere conaretur, plumbea glande per guttur traiectus, in Caſſantij inſula, celebri in certamine, vitæ profuſione honeſtiſsimè litarit, cui viro iuſta parentalia Bruggarum ciuitas, funeſtiſsimo comploratu, & honoraria pompa, qua inſignioribus ducibus, & dynaſtis parentatur, iubente id Sereniſsimo Alberto, in Eccleſia Sancti Franciſci perſoluit, cuius etiam meminit Pompeius Iuſtinianus, inſignis noſtra ætate ſcriptor, & miles, in ſuis cōmentarijs de Bello belgico, quos manu ſcriptos reliquit. Vetuſtiſsimæ dèmum, & lectiſſimæ nobilitatis, argumenta multa ſuppeterent principum coniugia quamplurima, quibus gens Triſsinea claruit. Vnum ex multis referam, prudentiſsimæ nempè, & pudiciſsimæ fœminæ Veroneſiæ Scaligeræ, inclyti illius Maſtini Scaligeri Veronenſium Principis filiæ, quæ, vt teſtantur illi, qui Scaligero-

rum

Digitized by Google

rum ſtemmata recenſuerunt, & publicis expoſuerunt tabulis, tædis connubialibus, & nuptiali thalamo Comiti Iacobo Triſſino iuncta eſt, & non tàm intulit, quàm reperit in Triſsinea familia nobilitatem Itaque videtis, Auditores, quem virum petãt deliri Boccalini delphica illa ſcõmata, conuiciorũ cloaca, & colluuies, & inurbanæ dicacitates. Videtis quam indignè, de vſurpato AVREI VELLERIS phrœnoſchemate callidã illã inſtruat accuſationem. Cognoſcitis .ſ. tot præſtãtiſsimis heroibus fœcundam, & fœtam Triſsineam familiam, argoo celebratiſsimo Nauigio quàmſimillimã, ad vellus aureũ virtutis, gloriæque fortunatiſsimè adnauigaſſe. Sed, àgite, qualis heros in hac Argo aduectus Ioannes Georgius extiterit, iam perpendat ludionum epitome Boccalinus, vt ſciat quem virum amarulentiſsimo illo ſuo facetiarum felle reſperſerit, & rabidis centurijs icerit, quàmquam minimè ſum neſcius ſcenicum elucum Boccalinum, conſultiſsima ſententia, in hominem, quem ſciret celebritatis nomine clariſsimum agere voluiſſe Ariſtarchum, (vel, vt verius loquar, Boccalinum) quod fortè ſuis illis venenatis dicterijs, & mendaciorum culeo, ſperaret ſe poſſe cum ornatiſsimis viris, & eruditiſsimis, ingenij contentione, de dignitate, & excellentia decertare. Vèrum tu nè vecors, & Sciole Boccaline cum Ioanne Georgio de generis nobilitate, quam inſulſè in aurei velleris ſymbolo declaratam irrides, cum non poſsis, audes de ingenij præſtantia contendere? Bone Deus anſer olori, bubo luſciniæ, noctua aquilæ, graculus fidibus, pica ſireni, ſus Mineruæ, amurca oleo, frondes fructui, vmbra ſoli comparãtur? Ingenium tuũ, tuo te pede metire, ineptiſsimi, & inſulſiſsimi congerronis, linguacis, & morologi, animus nugalis, & popularis perridiculæ ſeruiles, humiles, ioculares, & pedeſtres ſententiæ, ſtudium illiberale, vanidica ſcripta tua, non lucernam, vt illa vigilantiſsimi Demoſthenis, ſed muſcerdas olent, Smintheo potius, quàm parnaſsio Apolline digna. Noli de hac graui in te animaduerſione conqueri, nè graue litteratorum iudiciũ, in tua cauſa iniquum accuſa, eſt oratio mẽtis interpres, & cordis ſunt ſcripta, orationes. Quid igitur dum aliena ſcripta vitiligas, ea redolent, quæ poſteritati conſecraſti, Murcia

Aureũ vell⁹ Io. Georgi Triſſini impreſia

non

non Minerua dictante ingenij tui monumenta? Quid ſapiunt accurata diligentia, ſolertique lima elaborata noua illa tua Pirrhandrica commenta,& dyonyſiaca ſcommata? qualis in illis tuis ſillis,& nugis,fimeto, & latrina dignis mentis facies elucet? Tuis te pingam coloribus,archigenis, & Anticyra indiges, nouimus ex genere dicendi,ex olidis ſententijs, exſuccis argumentis, inamœna oratione,qua te planè totum, vt noſtrorum temporum omnium irriſor ſannio,aſilus aculeatus, & fucus moroſus, ſed Bauio, & Meuio inſulſior, & Pattęcione calumnioſior, ex fęce, & proluuie ſatyricorum emergeres, ad Menippum,& Ariſtarchum,ad Archilochum ſtudioſè conformaſti. An liberalis prudentiſque hominis eſſe arbitraris,in hominum famam,acerbis dicterijs conuolare, illuſtria pręſtantiſsimorum virorũ facta vulpinari,doctiſsimorum quorumcũque ſcripta naſo ſuſpendere, decachinari,genuino mordere, canina dicacitate,& inſectatione percellere.Noſti,quę Seneca ſapientiſsimus aliquando ſcripſit, & dignum Socrate apophthegma duxit, rem ſcilicet eſſe dijs,& hominibus exoſam,infamare virtutes, & malignis ſermonibus ſancta violare; decebat nè ciuem Romanum neglecta maieſtate Patriæ infami holophantarum arte, chenica alienis in terris aucupari, æquũ nè erat leguleium,quin togatum iam doctorculum poſthabitis vmbriferis lyceis, & doctiſsimorum virorum gymnaſijs, conductitia mercede, in triuijs, & compitis publicitus paraſitari? Quam ſtudioſi, & vrbani viri partes eum proſequi exiſtimas, qui à nullius ſe temperat morſu,qui in celebres quoſquè viros ſecurim, & plagas infligat,aciem calami diſtringat, eorum elucubrationes linguæ iaculo confodiat, acerbè, direque perſtringat, omnium gloriam ſtudeat obſcurare? Hoccinè eſſe cenſes politicam viuendi rationem, quod iactas,præſcribere? Hoc nè præcepta morum,& officia ſtudioſi hominis edocere? Sed qua orationis grauitate id præſtas? quàm grandi,ornatoque dicendi ſtylo: omnia tuisin ſcriptis abſona, diſſentanea,inculta, humilia,& Lesbijs digna,nihil reconditum, vel atticè dictum, nihil hominis frugi, ſed oſcè multa, & putidè, ſordida omnia, & ignominioſa, Pyrricho rypographo digna, è medio petita, ex triuijs interdum, & tuis fidiſsimis

ganeis,

ganeis, in quibus diem tandem clauſiſti extremum accepta, orationis genus flacidum, impexum, vietum, dumoſum, lacunoſum, populare, & ſcurrile, ſubdolo mercimonio accommodatum, quod nec ſuccum, nec ſanguinem refert in venis grauium ſententiarum, vt præter ſcurriles quaſdam affanias, friuolas gerras, garrulas apinas, tricasque, & ſi quid vilius iſtis, quod è copreis Muſarum papyris, cum mediaſtinorum turbę Parnaſsi aſcitus, ſcaphia ſtercoroſa detergeres, deprompſiſti, nihil admiremur. In omnibus demum ſcurraris, deſipis, ineptis, deliras, elatras, tricaris, cachinisque dehoneſtiſsimis, inuenuſtis iocis, inſcijs illuſionibus, incogitatis diris, probos viros lancinas, & inceſsis. Omniaque à te edita, gibbera ſunt & deformia. At verò confer te ad Ioannem Georgium Triſsinum Italicæ Heroicæ poeſis lumen, vel verius numen, huius ingenium vt acutum, diſertum, comptum, numeroſum, & graue, ita quæ reliquit ingenij monumenra omnium confeſsione dignißima, quæ æternitati conſecrentur: quàm multos ille, quàm eruditos libros maxima doctorum hominum commendatione poſteritati elaborauit, cuius in ſcriptis reconditam eruditionem admirantur omnes, non ſolùm qui politioribus litteris delectâtur, ſed qui peritioribus diſciplinis affâtim imbuti, grauiora, & occultiora in aliorum ſcriptis requirunt. Suſpiciunt enim eruditi, & colunt exquiſitam, variamque rerum omnium cognitionem, ſubtilitatē, acumen dicendi: agnoſcunt illius, & amant in ſoluta oratione muſculos, & neruos, in carminibus elegantiam, maieſtatem, in vtroque verò genere prædicant grauitatem: iubas, toros, amaritudinem interdum, inſtantiam, non rarò ſuaues tractus, ἐνθυμήματα ἀγωνίσματα, omne dèmum, quà verbis, quà ſententijs elaboratam dicendi rationem, & cuncta plena eſſe pondere, & læuore docti omnes fatentur. Ioannes Georgius, nulli antèa ethruſco ſermone ſcriptori, peruiam, Parnaſsi collis ſummitatem incredibili ingenij ſolertia, ſibi patefecit: nàm quamuis nobiliſsimi poetæ Franciſcus Petrarcha, & Dantes Aldigerius, ille lyricis, hic grandioribus poematijs, laudis poeticæ gloria inſignes celebrarentur, nullus tamen antè Io. Georgium, auſus eſt grandiori Epici carminis ſtylo heroicas actiones Imperatorum, tranſ-

trāſmittere ad ſeram memoriam poſterorum, nullus paludamenta Imperatorū, & Regum ſyrmata in ſcenam tragico dramate perducere. Hic primus maxima ingenij felicitate, Epicū poema ethruſcis verſibus cōponere aggreſſus, illud perfecit, vt ſecundum iàm Homerum Italis Græci, iurè poſsint inuidere. Latini verò non Græcis Sophoclem iàm inuideant, vel Ariſtophanem, vel Plautum Siculis Vicentini. Hic enim prudentiſsimi Imperatoris Iuſtiniani magnum illud opus, ITALIAE LIBERATAE à ſtrenuiſsimis bellatoribus, egregijsq; Ducibus, Beliſario, Narſiteque, feliciter peractum, grandi ſtylo, epicis carminibus concinnandum æternitati, ac celebrandum dedit: Hic SOPHONISBAE reginæ elegum ac calamitoſum euētum dramate expreſſum, Italicam in ſcenam, petēte Leone X. Pont. max. primus produxit. Hic antiquorum poetarū, qui comicę poeſis lauream adepti, gloriæ terminos poſteris circumſcripſiſſe videbantur, ſtrenui adeò concertatione ingenij adæquauit, eruditiſsimo Poemate, metro ſcripto, quod SIMILLIMOS inſcripſit (cuius meminit Torquatus Taſſus in dialogo de nobilitate,) vt quotieſcumq;, comicum illud carmen lectione percurro, ipſa ſe mihi antiquæ poeſis facies verendo, grauique aſpectu referat contemplanda. Hic Italici ſermonis præceptiones, & rectas loquendi, ſcribendique formulas, ſcriptis de Grammatica egregijs commentarijs declarauit. Hic poeticam facultatem eruditis elucubrationibus adeò illuſtrauit, vt antiquorum poetarum induſtriam, & eorum, qui in Italicum ſermonem, muſas nō inſuauiter deuocarunt, adamuſsim patefecerit. Vnusq; nobis Io. Georgius, ſuis de poetica facultate præceptis, faces ad Heliconem prætuliſſe videatur. Hic præcepta edidit Rhetoricæ, & eloquentiſsimus ſuorum temporum orator, ſummo cum ingenij acumine facundię ſuę, lacteam eloquentiam, multis, & difficillimis legationibus apud magnos Reges, & Principes ita ſæpe declarauit, vt & eorum ſibi gratiam conciliarit, & magnam apud omnes auctoritatem. Hic à viro doctiſsimo Demetrio Chalcōdyla athenienſi, tanta ingenij felicitate, gręci ſermonis latices hauſit, vt ipſo Pomponio equiti Romano, Ciceronis amicitia celebri, ATTICI, cognomen paucorum menſium curriculo, ex ſui

præcepto-

præceptoris ſententia, verius promeruerit: Magiſtro benemerenti gratiſsimus, cui Mediolani vita functo, monumentũ marmoreum in templo PASSIONI Seruatoris noſtri ſacrum excitauit. Sed quàm eleganter latino carmine exilij infortunium (quod tanto Viro, virtutibus exornato, fortunatiſsimum cecidit) Seuerino Boetio in omnibus æqualis, conſolatus eſt. Quod fuit ſcribendi, commentandi genus, in quo Io. Georgius cum maximè excelleret, & ingenium, & ſtylum non exercuerit ſuum? poeticum, oratorium, hiſtoricum, epidicticum, dialogicum, dramaticum. Omnem demum politioris litteraturæ rationem, incredibili ingenij felicitate complexus, admirabili quoque ſcribendi elegantia, ſuas eruditiones expoſuit. En imperite Boccaline, quem virum, furuis illis tuis cẽturijs, & mucidis ſcriptis proſcideris, erudituſsimum eruditorum, poetarum elegantiſsimum, oratorum facundiſsimum; Quem ſummi, & potentiſsimi Principes, maximis honoribus honeſtarunt, muneribus auxerunt, dignitatibus exornarunt. Cuius virtutem Leo X. Summus Pontifex, ille, qui erudita, & amœna ingenia, ſagaciſsimè ſubodorari ſolebat, vt ampliſsimo cõſtitutam faſtigio, ſuſpexit? Coluerunt potentiſsimi Imperatores Maximilianus, & Carolus, apud quos honeſtiſsimis perfunctus legationibus, vt incredibilem ſui admirationem excitauit, ita gloriam comparauit ampliſsimam. Hunc tu Boccaline ſycophanta, alienæ vitæ penſiculator, ſatyricis tuis ſtrophis, & quæſtuoſis cantilenis, dignum exiſtimas, quem laudatiſsimi viri magnis encomijs ſunt proſequuti? quem Palladius ille noſtrorum temporum in diſciplina architectãdi Vitruuius, ſuũ doctorem cognouit, magiſtrum prædicauit. Huius tu gloriam obſcurare, dentatis ſalibus, & bullatis nugis, inſolẽtiq; cõtumelia contendis? Quem Carolus Sigonius lumen illud hiſtoriæ, illuſtri, ac immortali ſuo ſtylo, dignum exiſtimauit, qui clariſsimi hominis geſta ſcribere aggreſſus, niſi ipſe interijſſet, ab obliuione, & interitu vindicaſſet. Huius tu æuo glorioſiſsimè perfuncti nomen, inſulſiſsimis tuis iocis, & poſticis ſannis, in riſum, & contemptum vocas, cuius memoriam ornatiſsimis monumentis conſignatam politiſsimi viri omnes coluerunt? cuius vel etiam cineres, & veſtigia gloriæ, venerati ſunt.

ſunt. Hic ego Auditóres, ludionem hunc Parnaſsi, alienę famę prædonem, ad inſignem illum Marcum Antonium Sabellicũ, in culto illo Carmine CRATER VICENTINVS in ſcripto euoco. Hic ego ſummum Pontificem Vrbanum VIII. apello, quorum alter ſuburbanum Vicentiæ pomarium, magnificentiſsimis, & ornatiſsimis ædibus in pago Criccoli nuncupato extructum, quod TRISSINEAE ACADEMIAE nomen hucuſque retinet, elegantiſsimis verſibus exornauit: alter verò, quo tempore nondum Pontifex, Apoſtolici Nuntij apud Rempublicam Venetam munus obiret. Cum interdum negotiorum mole liberatus, ad ſubleuandas animi curas, ad Vicentinos, quos ſummopère diligebat, diuerteret, honeſtiſſimis contemptis hoſpitijs, quæ munificentiſsimi illi ciues, in ipſa ſua Vrbe ſumptuoſiſsimè appararant, vt digno honore ſpectabilem virum, & Archiepiſcopum ampliſsimum exciperent, eo ſolo nomine, non procul ab Vrbe Vicentina Criccolinum Io. Georgij Palatium elegit, quod aliquando doctiſsimi Viri Muſæum, & Academia extitiſſet, perindè parietes illi eruditionem, ingenium, facundiam, elegantiam, Muſas ipſas, & Apollinem Io. Georgij Triſsini, adhuc ſpirare viderentur. Et tamen vnus Bubo feralis Boccalinus, alienæ laudis lanius, de obſcurata tanti viri fama, fuliginoſa illa ſua mendaciorum officina, ſperat ſe poſſe triumphare, cuius nominis gloriam, celebritatem quicumque, vel maiorum, vel noſtra ætate habiti ſunt eruditi, non ſatis ſe poſſe laudibus exornare iudicarunt. Quàm exiſtimas (cogor ſæpius te compellare) habituras illas tuas ſuppuratas centurias, theatrales & pudẽdas tricas, apud poſteros auctoritatem, cũ à laudatiſsimis hominibus illuſtria de Triſsini virtute teſtimonia repetent, cum encomia legent, cum inſignia gloriæ monumenta contemplabuntur? An præclara ſummi Pontificis Leonis X. in epiſtolis Card. Bembi cõſignata commendatio, an frequens, & illuſtre Pauli Benij eruditiſsimi hominis, teſtimonium in ſuis lectionibus academicis, & adnotationibus in Torquatum Taſſum, cũ Triſsini memoriam ſumma cum laude proſequitur. An ipſius Torquati Taſsi, noſtrę ætatis Poetæ poſt Io. Georgium Triſsinum eruditiſsimi, egregia de eiuſdem Triſsini virtute teſtificatio, qui

amicis ſuis, cõfirmare frequentiſsimè ſoleret, ſe cum Io. Georgio Triſsino ſub ceruicali cubare, illiuſq; poemata nocturna, diurnaq; manu verſare: an tot præclarorum hominum auctoritas, an illud præclarum Vicentina Sancti Laurentij in Eccleſia, erectum ſuo cenotaphio epitaphium (eius enim oſſa Romę cum Io. Laſcaris cineribus aſſeruantur) maledicentiæ tuæ labem non deterget, non obruet dicacitatem, irrogatam ſatyricis ſcõmatibus contumeliam non obſcurabit?

Sed iam tandem Auditores ab acutiſsimo iſto grineo pantomimo, ſed deſide, fatuo, & ignauiſsimo, inuſtam Io. Georgij notam, quàm grauiter, quàm ſeuerè, quàm iure videamus. Equidem cùm quod primum criminatur, mecum ipſe repeto demiror, & horreo iſtius ſalaciſsimi, & lymphatici delatoris audaciam, & petulantiam admiror, qui acutiſsimum inuentũ, ſola irriſione ſe ſatis potuiſſe condemnare arbitretur, nullam proferat accuſationis rationem: nam ſi eo criminandam nomine Io. Georgij induſtriam noua litterarum adiectione exiſtimat, quod infęliciſsimum ſit euentum conſecuta, & cum ipſo auctore conſenuerit, næ, iſte iniquo iudicio in diſcrimen famę reum agit innocentem, cum dolere vicem hominis laudatiſsimi debeat, cuius tàm malè perditæ, & euigilatæ ſint noctes, in exornandis italicis characteribus, prorſus irrideat calamitatem: quam multi nunc in ſordibus, ac ſitu iacerent diuerſarũ nationum, & ſermonum characteres, qui maximum ſplendorem, & cultum receperunt, niſi eruditorum quorundam hominum induſtria acceſsiſset, qui nouis inuentis, lumen auxerunt litterarum? Hebræi litterarum notas non tàm multas initio habuerunt ad ſcribendum, ſenſumque animi abſentibus exprimendum, vt non ſine labore con ſignatæ characteribus voces, ab eruditis exciperentur; At vbi induſtrius ille, iuxtà, & eruditus Eſdras, nouis inuentis exornauit, ea eſt hebraici ſermonis elegantiæ, & intellectioni fax addita, vt iam notis Eſdræ cum eſt illuſtrata ſcribendi ratio, ſuum quaſi cognouerit exortum. Quid, cum deinde, qui temporum progreſsionibus ſunt conſecuti eruditi, hebraicas litterarum notas punctorum ſymbolis auxerunt, quæ, qualis, quanta facta eſt acceſsio hebraicæ doctrinæ, & eruditioni? Hoc ſi poſteritas eruditorum hominũ

inuen-

inuentum improbaſſet, minus illud commodum, quod nunc percipit maximum, diuinus ille ſermo fuiſſet habiturus. Omnes artes, & diſciplinæ, rudibus initijs cęptæ, factis tandē progreſsionibus adoleſcunt. Hæc verò ipſa communicandæ abſentibus animi motionis inuentio, agreſtia natalia, & planè ſubhorridos agnoſcit parentes, quæ tamen tanquam vrſæ partus nouis poſterorum acceſsionibus ſuis, ita eſt partibus conformata, vt ad omnes tandem numeros abſoluta videatur. Nam ſi vltimam temporum memoriam reuocemus, cum philoſophia, primo nondum egreſſa puerperio, inter Aegyptios adhùc vagiret, eorum, qui latentes animi ſenſus ſymbolicis notis arcana pandere incęperint, primi Aegyptij celebrantur. Sed iſti expreſſas animalium effigies, ad cōſignatas animi motiones ſuas accommodabant, qua tamen ratione difficile eſt concepta animi vota, conſilia, cæteraſque affectiones contexto ſermonis nexu, perpetuaq; oratione clarè, diſtinctèq; ediſſerere. Quare celebratur Menon Phoroneo æqualis, & Mercurius Thoyth, cum eorum alter inuentor, alter vero primus fuerit ſcriptor litterarum Aegyptiarum: prætereo nunc Linum Thebanum græcarum litterarum auctorem, & Cecropem Diphyetem, qui dum Athenas regeret, Gręcis litteras tradidit: ſed quantam ſibi peperit laudem Cadmus ille, qui dentium Draconis ſatu, obarmatos homines in lucem dicitur à Poetis deuocaſſe, philoſophiamq; præclaro litterarū inuēto, primus adduxit eloquentem: eo enim commento, ſapientiſsimi Poetæ expreſſerunt, inaratos litteris ſignificantibus exiguæ membranæ ſulculos, ligone, calamo, colono, mente, veluti ſemina commendata, efferre in fructus, hoc eſt animi cogitationes, & quaſi ſenſus hominis obloquentes. Quæ deinde inuentio ab omnibus, quæ aliqua humanitate imbutæ ſunt nationibus recepta, longius maximo ſapientiæ commodo, & Philoſophiæ prouentu ad poſteros manauit. Verum nulla vnquam fuit, tā accurata, tàm ſolers, tàm ſagax, quæ perfectum, & omni ex parte excultum litterarum inuentum auctoribus ſuis acceptum retulerit, vt non aliquem cultum, vel nitorem ab alijs additū commendarit. Palamedes ex illo Gruum volantium compoſito agmine, nouas litterarum ſpecies Græcis dedit; quin & Si-

monides Melius, & Epicharmus ſiculus, Græcorum characterem, magna doctorum hominum acclamatione auxerunt: Primum enim quatuor adinueniſſe græcas litteras, duas alterum teſtatur antiquitas. Et ſapiens ille Pythagoras myſterijs, vt ille venditabat, maximè fœcundam litteram inuenit, quæ omnes plauſibili acclamatione eruditorum comprobatæ, ſuis auctoribus magnam laudem pepererunt. Omitto ſanctiſsimos Chriſtianæ Religionis Patres, Hieronymum, & Cyrillum, qui Illyricum ſcribendi characterem nouis adinuentis litteris, non tàm ad elegantiam, quàm ad abſolutam, perfectamque rationem reuocarunt: Omitto Sanctum Io. Chryſoſtomum, qui Armenis nouas ſcribendi notas propoſuit; Omitto Herculem Aegyptium, & Demerathum Corinthium, quorum adhùc viget memoria, cũ ille Phrygios, hic Hetruſcos excogitarit characteres: Ille dèmum celebris Antiſtes Vlphilas, inſigni à grauiſsimis Viris præconio celebratur, dum ſcribendi artem Gothicis adinuentis litteris, plurimum auxit. Agè verò ipſa Romana Pallas, cum iam cæteris armorum, & litterarum gloriam ademiſſe, cum omnes, & loquendi, & ſcribendi formas abſolutas, tanta eruditorum, & eloquentium hominum luce habere videretur, aliquid ſibi deeſſe demirata eſt, cum tres nouas litterarum imagines, à Claudio Imperatore cognouit ſapientiſsimè inuẽtas, & euulgatas. Sed Boccalini perperi, & Bœotij ingenij hominis, craſſa tandem, & rudis conticeſcat inſcitia, & calumniæ faceſſant, dum fœminas nõnullas, quæ in exedris peritorum, nullum ſibi vendicant locum, nullius auctoritatis, in re litteraria eſſe cenſentur, à primis illis ſcriptioribus, ſummis laudibus euectas intelliget, ea ſolùm de cauſa, quòd nouas litterarum formas inuenerint. Quare Iſidem reginam, Nicoſtratam Carmentam, Aegyptiarum alteram, alteram Latinarum litterarum inuentricem, multis adhuc elogijs, Fama commemorat. Sed enim, planè neceſſe eſt. Auditores, cum omnes nationes, & gentes non ſolùm diuerſo cœli climate, moribus, diſciplina, ſed etiam ſermone diſsideant, habere ſingulas proprios loquendi quoſdam modos, voces, enunciandi rationem, accentus, ſonos ad animi affectiones accommodatos, qui ſcripturæ deindè, non niſi proprijs quibuſdam litteris poſſunt

denotari,

denotari, vt illis veluti ſignis, vocis depreſsio, eleuatio, & productio, ſonitus prolationis, concinnitas, ſignificetur. Tranſalpinos hic ego omnes populos in aciem prouocabo, quorum vernaculus ſermo, vel diſsimili vocabulorum varietate, Italicis auribus neſcio, quid inſuaue, & peregrinum obſtrepere, vel ſimili prolatione, interdum iucundè inſonare videtur. Hi omnes quamquam noſtris characteribus vtantur, attamen ad propriarum vocum ſonos, diuerſamque pronunciādi rationem exprimendam, diſtinctum ſcribendi accōmodant modum, longèque alterum ſtylum in ſcribendis vocibus circumducunt, quà earundem litterarum geminatione, quà nouarum, & diuerſarum peculiari quoddam additamento, vt nos pronunciationis ignari, eorum in ſcripta cum inciderimus, vel legendo impingamus in ſcopulos, planèq; hæreamus difficultate enuntiandi, vel in noſtris noſtra minimè cognoſcamus. Nè multa, libros hiſpano conſcriptos ſermone, dum in manus ſumimus, nonnè noſtros litterarum apices, cum barbaris characteribus mixtos aſpicimus? vt primo aſpectu noſtratia, tùm peregrina contemplemur. Ita planè:. At verò latini characteres omnes ad hiſpanas voces commodè exprimendas, energiam planè nullam habent, ad varios prolationis modos, ad ſonitum vocis temperandum. Quid igitur hoc præſidio deſtitutus hiſpanus ſermo, Boccalino critico plagiario, ſperare potuiſſet, vel auxilij, vel ornamenti? mutire in ſcriptura, vel bleſus veluti bambulio, obſcurè, & inconcinnè orationē hiare ſemper debuiſſet, niſi eruditi homines, nouos latino litterarum elencho addidiſsent characteres. Et ita ſcitè cum elegantiſsimo ſermone actum eſt, & quod latium non potuit afferre, iberica induſtria contulit adiumenti, intruſæ, & appoſitæ ſunt aliæ litterarum formæ, & cæpit ſuo etiam plectro hiſpana ſcriptura ſoluere orationem. Quare ſi inuentio apud quālibet nationem nouarum imaginum litterarum magno cum eruditorum applauſu vſu recepta eſt, & nouis ſubindè acceſſionibus ad elegantiam, & perfectionem eſt reuocata, ſi prudentes viri magnam ſunt laudem conſecuti, quod nouos ſcribendi characteres veteribus aſſuerint, ad explicandum ſermonis vernaculi, proprias affectiones, ſi neceſsitas interdum

cogit, & in italico ſermone multa ſunt verba, quæ nullis, vel accentu, vel litteris diuerſis ſcribuntur, animi tamen notas, ſenſusque diuerſos eadem exprimere, longeque diſsito vocis ſono proferri quam per litteras exarentur, certò ſcimus, præclaram Ioan. Georgij Triſsini induſtriam, flagifer ille matula Boccalinus inſano riſu proflabit? infenſis battologijs laceſſet? obiurgatorijs centurijs illudet? ò proiectam hominis audaciam, ò inſignem ridibundi aretalogi, & inſidioſi nugatoris petulantiam. Non videò, Auditores, vndè nàm oblatrandi cauſam poſsit imperitus hic mythographus, ariolus actionū, Parnaſsius æruſcator expiſcari. Quis enim non videt, geminas illas vocales, *O*, & *E*, (vt nonnullas alias prætermittam) quas Itali, à latino alphabęto ſunt mutuati, aliquandò obtuſo, ſæpè fatiſcente, & hiulco ſono eodem in verbo proferri. Sit loco exempli lexis illa Italica, *Toſco*, in qua ſi prima littera, *O*, preſſo elidatur ſono, hominem indicat in Tuſcia natum. Si verò pando, & hiſcente toxicum ſignificat. Eaſdem affert difficultates hæc altera lexis, *Mele*, Italis germana. Prima enim littera, *E*, ſtrictior exerta, poma ſignificat, laxior verò emiſſa, dulcem apum liquorem, vt innumeras alias omittamus voces, vel pueris ipſis notiſsimas. Quid ergo criminis commiſit Io. Georgius Triſsinus, cum verba quæ pronunciatione, & rerum, quas protendunt, ſignificatione, diuerſiſsimas eſſe cognouit, diſsimili charactere cenſuerit, & docuerit eſſe diſcernendas, ſcripta ad Clementem VII. Rom. Pontif. hac de re eruditiſsima epiſtola, quæ Venetijs edita, litteratorum hominum teritur manibus. Ad phylacaſnè Pegaſeas, Traiano Boccalino inſidioſo Carcerario aganippæo, damnabitur? Non equidem, Auditores, quin potiùs in ſacra Parnaſsi panegyri, ipſius Apollinis imperio, Muſis interpellantibus, doctis efflagitantibus, Traiano Boccalino Heliconis apparitore, imò lixa, geruloque viliſsimo liueſcente, ab eloquentiſsimo viro Polydoro Virgilio, qui rerum inuentores, ſapientiſsimis encomijs illuſtrauit, laudibus immortalitate dignis euehetur. Nihil enim acutius hoc inuento, ad Italicam orthographiā exornandam, nihil ſapientius, nihil conſultius. Occurritur hac ſcita litterarum additione (loquar cum philoſophis) æquiuoca-

tionis

tionis in ſimilitudine vocabulorum impoitunis incommodis: pronuntiationis ſcopulos omnes euitamus, ſonitum vocis ritè, & appoſitè ad cuiuſque nominis energiam, ſermoniſque proprietatem adaptamus. Ergò accentus à Græcis mutuatos latina orthographia vſurpabit, vocalium diuerſitatem, litterarum geminationem, notam aſpirationis ad pronuntiationis cognitionem iuuandam, ad diſtinguendos ſenſus vocabulorum, & alia, quæ occurrunt incommoda tollenda; & non iurè poterit præclarum Triſsini augmentum litterarum Italica ſcribendi methodus excolere, vſu recipere? Quam ob rem? quod græci characteres minùs bellè cum latinis copulentur? Quod Italica ſcriptura peregrinis mixta litterarum imaginibus, minùs elegans appareat, & culta? nè adeò ſimus noſtrarum rerum amantes, vt peregrina aſpernemur, dū commodiora repetere à noſtris, non poſſumus. Ridiculum enim eſt, & deſperatæ amentiæ argumentum, in maxima rerum egeſtate, longè aduectam recuſare annonam. Iuſtè, & honeſtè potuerunt Romani, leges à Græcis, diſciplinas, & artes, politicam ſcribendi rationem mutuari, quæ deindè tanquàm fęcundius tranſlata in ſolum, vberrimos edidere fructus, potuerunt vocabula ſignificantiora ſuis inſerere, quaſdam litteras ad ſe, è græca orthographia traducere, & Italica ſcribendi methodus, honeſta Græcarum litterarum quarumdam acceſsione, Triſsino eruditiſsimo Viro auctore, in maxima Italis ſcriptoribus exprimendarum vocū egeſtate, ſola ſcurrilis ingenij hominis irriſione, & putido ſtilo, nō aliquo ratiocinatiuæ orationis, vel argumenti genere protrudetur! Sapienter, Auditores, & aptè, addo ſcitè, & prudentiſsimè egit, dum hanc nobilem litterarum additionem, in lucem euocauit, quamquam minus voto reſponderit euentus, nec poſterorum ſcriptorum conſenſus, quos pigritia magis, quā difficultas deterruit, ſapientiſsimi hominis conſilium benè fortunarit. Enim verò vrgebat Italici ſermonis neceſsitas, ad hanc prouinciam aggrediendam, addebat animos maiorum exemplum, ac planè inuitabat præclara eodem in campo nauata opera, hominum eruditorum, quorum labor, & induſtria magna cum laude, in exornanda ſcribendi ratione deſudarat.

ſudarat. Suadebat hominem honeſtiſsimum, gloriæ, & immortalitatis amantiſsimum, laudis quæ excelſum quemque animum pulſat cupiditas, quam alij leuiore inuento, minuſuè neceſſario reportarunt. Studium Summi Pontificis Leonis Decimi in bonis artibus, & diſciplinis exornandis, quo egregium, & generoſiſsimum principem videbat incenſum, acres admouebat faces, auctoritas inuitabat, impellebat imperium. Quid? ipſæ Muſæ, ipſa Italica ſcribendi methodus, quæ deformata iacebat in ſitu, & ſquallore, & adhùc in maximo iacet infortunio, hanc opem à Ioanne Georgio Triſſino viro tùm erudito, tùm nauo, & induſtrio efflagitabat. Quid feciſſes impudens palpator Boccalinus, ſi ad tuum argutulum, ſed mimicum ingenium, italicus Sermo confugiſſet? ſi auxilium imploraſſet? ſi hac te interpellaſſet oratione? Vides, appollinee amanuenſis, quàm multis laborem incommodis, dum me floridum ſermonem, vocabulorum copia affluentiſsimum, ſonantem verbis, & ſententijs plenum, canorum, ſuaue, conatur ſcriptura adumbrare, & æquiuocationibus obruere, vides, quàm ſæpè ſimilium vocum expreſsio, ſenſum peruertat orationis: cognoſcis Italici ſermonis orthographiam eſſe multis deſtitutam notis quibus prothractiones vocalium, locutionis propriæ effectus, elegantia, & maieſtas exprimantur, ſenſuſque orationis paſsim peruertatur. Tuum eſt meæ occurrere calamitati, tuæ ſunt partes id perficere, quod alij, vel inſcitia, vel inertia, vel oſcitantia neglexerunt. Habes expeditam rationem mei exornandi, acutiſsimo ingenio excogitatam: habes ſtudium Principis potentiſsimi, bonarum artium amantiſsimi: habes eruditorum omnium prærogatiuam: iuua egentiſsimam, excole ſquallentem ſitu, exorna diuturnis iàm tenebris mœrentem, cultiſsimi, & elegantiſsimi ſermonis ſcriptionem. An adeò malè feriatus, & germinis arcadici auritus homo, iuſtę, & honeſtæ petitioni, aures obſtruxiſſes? Quid ſi amplisſimi viri efflagitaſſent? ſi Apollo ille tuus commentitius ſua auctoritate intercesſiſſet? Fac Leonem Decimum, & Clemẽtem Septimum ſummos Pontifices, bonarum artium, & diſciplinarũ ſtudioſiſsimos Principes, Apollines eſſe, adiumentum hoc pro

Italica

Italica orthographia imploraſſe: quem animum, quam mentem ſuſcepiſſes? interceſsit pro Italica ſcriptione exornanda Ioann. Georgium Triſsinum vterque Apollo, enixè rogauit, impulit ad ſubeundum onus ſua auctoritate, confirmauit imperio. Quòd ſi in calamitoſiſsimam temporum calamitatem, non poſteà incidiſſet præclari inuenti euulgatio, ni bellum Italiam deformaſſet vniuerſam, quo furente artes omnes liberales pènitus exularunt, & ni ipſam in vrbem, atque adeò cunctam Italiam Dux Borbonius infeſtiſsimis armis, intuliſſet omnium rerum, & ſimul bonarum artium vaſtitatem, optatiſsimum finem Io. Georgij Triſsini induſtria, fuiſſet conſecuta, quem ob armorum tumultus, vrbis, & Italiæ direptiones efferatamque belli Barbariem quibus artes omnes liberales peſſumdatæ, pènitus exularunt, non potuit obtinere.

Venio ad alteram dicacitatis partem, qua virum honeſtiſsimum, generis nobilitate, ſplendoreque, virtutis, ac de bonis artibus benè meritum virulentus, & obſcurus homo, ſolū maledicendi gloria, & mimicis artibus clarus inceſſere dolo malo non dubitauit. Sed hic, Auditores, quò me vertam? phręneticum nè an temulentum noſtrum apellabo maſtigiam Boccalinum? inſcitiæ nè, an impudentię, an vecordiæ inſimulabo? Enimuerò, vel iſtè ignorat egregios Ioannis Georgij Triſsini in omnibus diſciplinis, præſertim poetica arte ſuſceptos, & feliciſsimè perfunctos labores, potuiſſe ſibi honeſto iure repetere laudem adeptæ (quam vellus aureum appoſitè adumbrat) laureæ, & gloriæ poeticæ facultatis, qui cum heroibus honeſtiſsimæ familiæ, virtutis, & nobilitatis Argo aduectus, Oceanum emenſus laborum, ad nominis claritatem feliciſsimè adnauigauit; vel cum ſciat, & præuideat eò Io. Georgij virtutem perueniſſe celebritatis, & ipſa fama glorioſiſsimi Viri triumphis minorem fateatur; attamen ſuſcepti aurei velleris phrœnoſchematis, iuſtam, ac legitimam honeſto, cuique viro conceſſam facultatem, in inuidiam inſipienter vocat poſteritatis. Quoquo me verto, admiror hominis fœdiſsimis modis criminoſi, ad maledicendum libidinem. Adeſte quæſo animis, Auditores, Io. Georgius Triſsinus vir laudatiſsimus,

ijs temporibus floruit, quibus recepta inualuerat laudabilis conſuetudo, vt qui magnos in virtute, & gloria feciſſent progreſſus, vel cupiditate laudis inflammati, iter virtutis cępiſsĕt ad animi vota, & conſilia ſua arcano ſymbolo depromenda, varia ingenioſiſsimè phrænoſchemata, & ſymbola excogitarent: & ea accuratis expreſſa picturis, aut fabrefactis bullis impreſſa, contemplanda exponerent hominibus eruditis. Hinc Triſsinus, qui heroicæ poeſis apicem, omnium acclamatione attigerat, humano faſtigio celſiorem, tot, tàm doctis, tā varijs, tàm excultis poematibus in lucem emiſsis, qui Leonis X. Summi Pontificis authoratus imperio [quod paulò ante innuimus] tragicū drama calamitatis Sophoniſbæ reginæ ediderat, qui Caroli V. inuictiſsimi Imperatoris auſpicijs animatus, & auctoritate confirmatus, epicum Poema abſoluerat, quo Italiæ partam libertatem elegantiſsimè decantarat aliaq; multa metro, & ſoluta oratione ediderat, iàm voti compos, poſt honeſtiſsimos labores, ingenioſiſsimum AVREI VELLERIS phrœnoſchema argutiſsimo adiecto lemmate *ΠΑΝΤΟ ΖΗΤΟΥΜΕΝΟΝ ΑΛΩΤΟΝ veluti arcanæ in animo ſententiæ ſymbolum vſurpauit. Tum verò poſtquā lectiſsimus eiuſdem filius Cyrus, poema illud eidem Carolo V. Patris nomine donarium cōſecrauit, aurei velleris agalma, dimidiato in vmbone, ſui auiti ſtemmatis, Imperatoris auctoritate, & conceſsione appingi voluit, quò facilius hac veluti teſſera, è ſuo ſtipite deducta ſoboles, ab alijs, & Laudæ, & Vicetiæ, familiæ nobiliſsimæ, & numeroſiſsimæ ſurculis, dignoſceretur. Nihil hic, quod minus pudētem hominē deceat, perpetratum: nihil ſibi vir ampliſsimus de poeſi, & bonis artibus benè meritus, temerè arrogauit: nihil à munificentiſsimo Imperatore citra iuſtum, & æquum extorſit. Poterat hoc nobilitas generis, poterat claritas nominis, poterant labores, poterat virtus, poterat gloria poeticæ præſtantiæ obtinere. Elaborato illo Poemate (cogor ſæpè ab ijſdem gloriæ fontibus in hac defenſione redordiri) nihil limatius, nihil elegantius (nihil confidenter dicam) quod ad poeſim perfectiorem pertineat, diuinius. In quo pangendo adeò ad Homeri laudem acceſsit, vt ad omnes numeros, & partes poeticam imitationem in heroibus

*Qui quęrit inuenit.

roibus exprimendis,perfectè ſit aſſecutus. In eo Vlyſsis prudentiam,Achillis fortitudinem , in vno viro Beliſario optimè expreſſam,in eo elegantiſsimis allegorijs, liberales omnes artes adumbratas; in eo ad morum compoſitionem, ad honeſtæ vitæ rectam rationem ineundam ſapientiſsima præcepta propoſita, innumeras sētētias, & apophthegmata,theologica philoſophicaque theoremata, ſcita, & grauiſsima acroamata cordato, & graphico viro digna, & frequentiſsimos atticiſmos demiramur. Quàm ſcitè, quàm verè Pompei Triſsine Io. Georgium auum tuum Criccolino in Palatio TRISSINEAE ACCADEMIAE medium inter Sophoniſbam, & Italiam depictum, ab Homero poeticos hauſtus delibantem, qui ſub Parnaſsi jugo poeſis fontem ſingulis impertiuit, dum docti contemplantur, te nec illuſtriori, nec veriori elogio potuiſſe auum tuum cōmendare, omnium votis, & ſententijs conteſtantur. Quod diuino in poemate Italiæ liberatæ, Homeri diuinitatē, & poeſis excellentiam, cognoſcant, & prædicent abſolutam, & tamen vnus eſt inuentus nugiuendus circumforaneus Boccalinus alienæ laudis blatta infeſtiſsima, catophanta inſidioſus, atque cachino Democriti explodendus, qui hanc Ioan. Georgij gloriam vellicarit, qui aurei velleris phrænoſchematis vſurpatam poſſeſsionem, ſolis dicterijs, & lœdorijs, & anicularum deliramentis in iudicium vocarit poſteritatis. Profer cauſam criminationis furcifer, & ſtultiloque Therſites Boccaline, nec ſatis eſſe exiſtima mimico ſcommate, forica, immo forijs digno, ineptis, mentitiſq; nugamentis, honeſtiſsimum virum irriſiſſe. Quid tibi acutiſsimo Momo, hac in re diſplicet? ediſſere tandem, ſi mica eſt tibi ſani ſenſus. Supprimit ſilentio, Auditores, ſola contentus argutia dicacitatis. Sed videor ego ſententiam aſſequi; clamitat illa inſulſiſsimi Triſsinomimi dicacitas ab auguſtiſsimis Principibus, fuiſſe antè Io. Georgium ſymbolum illud aurei velleris vſurpatum: accuſat hoc à Philippo Burgundiæ Duce, cui iuſtitia, & religio Boni cognomen indiderunt, fuiſſe primum in lucem euocatum: accuſat à Carolo V. Imperatore, cum iàm fortè antiquatum obſoleuiſſet, in priſtinum ſplendorem reſtitutum, & nobiliſsimi ordinis equitatus iàm inſtituti teſſeram conſeruatum; quàmobrem maximam

mam inuri priuato homini Io. Georgio notam temeritatis criminatur, qui ampliſsimorum Principum phrenoſchemata, & ius equitatus inſtituendi fuerit æmulatus. En crimen, en cauſæ, cur celeberrimum poetã, ſtolidus, & pinguis Mineruæ blatteo, cur Italicæ heroicę poeſis Principem, & parentem paſceolus iſte fabularum accuſet. O inſignem hominis audaciam, neſcis talpa loquax Boccaline, quàm multi, quàm graues, quàm illuſtres homines, hoc iudicio Io. Georgio patrocinentur? qui ſi hoc, quod obiurgas, crimen eſt, te accuſatore, extremo famæ periculo, ſtarent condemnati. Alexander Aſiæ domitor, & triumphator, cũ nodi illius Gordij inexplicabiles nexus, obliquis ſpiris inſigniter obuolutos, cœcisque capitibus implicatos diſsoluiſſet, ſiuè facillimè inuento capite, vt Ariſtobolus ſcribit, ſiuè acinace, impatientia victus difficultatis ſecuiſſet, oraculumq; quo totius orbis imperium illi, qui nodum explicaſſet, portendebatur, vel impleuiſſet, vel eluſiſſet, eius nodi effigiem emblemmati impreſſam pro phrœnoſchemate habuit. Hoc idem Iacobus Zabarella vir ille, qui peripateticam philoſophiam egregijs commentarijs illuſtratam, vnus noſtra ætate priſtinæ reſtituit maieſtati, cuius erudita voce Patauina ciuitas perſonuit vniuerſa, vſurpauit. Cæſar ille Auguſtus, qui Romanæ Reipublicæ imperium bellica virtute, & magnis rebus geſtis conſeruatum, & auctum, eidem tandem ademit libertatem, Anchoræ obuolutum Delphinum, cum programmate FESTINA LENTE argutiſsimè expreſſum cęlauit imaginibus. Hoc ipſum vir in politioribus litteris Aldus Manutius, dempta ſententia ſuum fecit. Idem Imperator Capricorni ſydus, cuius in natalibus aſpectum feliciſsimum perſenſerat, inſculpſit emblemmatibus, quo felicem adumbraret Fortunã: in hoc ipſum Coſmus Mediceus inuolauit. Arcades antiquitate, cùm primis nobiles, tùm à poetis, tùm ab hiſtoricis celebratiſsimi, Lunæ imaginem in ſchematibus, & inſignibus depingebant: eandem in Turcarum toreumatib. & vexillis videmus renitere; eandem quamplures nobilitate illuſtres, virtute præſtantes, gloria clariſsimi viri ſuam eſſe voluerunt. Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis pegmata, aulęa, coronides, Solis ſchemate venuſtabantur; eiuſdem poſſeſsionem Comes

Albertus

Albertus Collaltus occupauit. Agamemnon, armamenta parmulam, Leonis effigie efferebat. Quid illa imago erecti Leonis Alberti Bauariæ Ducis monoſticho inſignis PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS? Celebratiſsimæ ſunt Romanorum Aquilæ, Gallorum Lilia; attamen nec Romanorum potentia, nec Regum Galliæ auguſtiſsima maieſtas, alios, nè in eadem inuaderent, potuit abſterrere. Omitto priſcorum illorum Regum Oſiridis Aegyptiorum, & Cyri Perſarum antiqua ſymbola, Boue, & vertago expreſſa, à nonnullis noſtri æui Academicis vſurpata. Sed quid longius hoc phrænoſchematum, & ſymbolorum cenſu progredior? nobiliſsimum illud ſpectrum, quod radij ſolis excuſſo imbre, guttantibus adhuc nubibus eleganter adeò venuſtis coloribus depingunt, dum quaſi circino arcum inflectunt, eodemq; colorant nubes, quæ aduerſo Sole lucem excipiunt, præpotentis Dei ſymbolum, & phrænoſchema clementiæ eſſe, ſacrarũ litterarum teſtimonio comprobatur; & tamen quàm multi Iridem ſubiecta ſententia phrænoſchemate adumbrant. Adũbrauit Catharina Medicea auguſtiſsima, & lectiſsima fęmina. Quamobrem ſi Io. Georgius Triſsinus Boccalino verſipelli accuſatore, & indecenti deriſore, reus de fama, nominisque exiſtimatione periclitatur, horum omnium fama, gloria, dignitas, maieſtas in diſcrimen maximum vocaretur. Veſtra cauſa agitur potentiſsimi Principes, viriq́ue doctiſsimi, cõmune vobis cum Io. Georgio Triſsino crimen à Boccalino libellione pierio dementato, & calumniatore deuio infertur. Depellite vehementem accuſationem, futiles illius, & nugatorias exſufflate fabulas; inſignem hanc à vobis infamiam remouete: diluite labem, quam renouata Caſsij Seueri maledicendi libidine, veſtræ gloriæ, nominiſq; inſperſit paraſitaſter iſte Aganippæus. Quid hic conſilij capiet Triſsinomaſtix Boccalinus Auditores, cum tot præſtantium hominum aciem, videbit pro Triſsini patrocinio in ſe conuerſam? conticeſcet? minimè verò; perfricatæ eſt frontis, nihil horum auctoritatẽ, maieſtatem penſi habet, denuò oganniet, cum non vereatur potentiſsimorum Principum, & doctiſsimorum virorum gloriam rancidis, & carioſis impetere dicterijs, & veſaniente, &

exerto maledicentiæ aculeo obuium quemque petere. Sed liceat per nugacem turbulentum Boccalinum, impudentiæ aſyllum, iſtis omnibus vſurpata ab alijs imaginum ſymbola, commutatione ſententiæ, ſua feciſſe. Licebitnè Triſsino? Ardelio eſt magnus, peruicus, & refractarius homo noſter Boccalinus Auditores, non deerunt ſubdolæ, & veteratoriæ cauillationes, non deerũt technæ, & anfractus, nouo huic Protheo, vel Acheloo, & pardali exuuio induere aſſueto, quibus ornatiſsimum virum, ab hac phrænoſchematis poſſeſsione deturbet, præcõpoſitam habet accuſationem, magnum facinus obijcit, magnumque ſcelus Io. Georg. Triſsino, gentilitio nimirum familiæ ſuæ ſtemmati, ſymbolum illud inſeruiſſe criminatur, iuſsiſſeq; eos, qui è ſuo traduce gignerentur nepotes, Triſsinos ab aureo vellere dici. Vellem nè mihi temporis anguſtiæ, opportunam occaſionem eriperent hoc loco, in ſupinam nugigeruli iſtius ignorantiam, ac maledicendi libidinem inuehendi. Occurrendum enim eſſet ſatietati veſtræ, ſed dicat quæſo catillonum primipilus Boccalinus, quot illuſtres homines [niſi in hiſtorijs peregrinatur ſi rerum ſuper recentem memoriam aliquando reuocaſſet] comperiſset, ea phrænoſchemata, & ſymbola, quæ vel militiæ, vel togæ præclaris actionibus conceperant, ſuorum gentiliũ inſignibus bellè aptèq; adiunxiſſe? Comperiſſet ſi Paulo Iouio celebri hiſtoriographo credimus, Columnios inter Romanorum megiſtanas celebres, gentilitio ſtemmati addidiſſe, iuncorum paluſtrium manipulum, ventorum afflatu, in media palude agitatum, cum programmate: FLECTIMVR NON FRANGIMVR VNDIS. comperiſſet Franciſcum Sfortiam mali cydonij effigie, addito hemiſtichio FRAGRANTIA DVRANT, auorum ſtemma exornaſſe. Comperiſset quamplures ex illuſtri Carraphiorum familia, antiquam ſtemmatis imaginem æquilibrij ſymbolo nobilitaſſe. Comperiſſet Clementem VIII. Summum Pontif. nidum Columbæ pyræ impoſitum, & accenſum, prophano illo obliterato carmine. FATO MONSTRANTE VIAM. quod Silueſter pater eius vir eruditiſsimus patria profugus inſcribebat, inter gentilitia ſydera, & lacteum Iunonis ſplendorem renitere voluiſſe. Comperiſſet Othonem Vicecomitem, ex

Draconis ore infantem prodeuntem poſterorum inſignibus reliquiſſe, quod ipſe eius nobilis victoriæ depictum eſſe voluit monumentum, quando trucē Saracenum Chriſtianorū hoſtem ſingulari certamine deuicit, qui ſuam caſsidem eodem decorauerat ornamento. Pudeat tandem, Auditores, obtrectatorē maledicentiſsimum, captioſumque emiſsitium pegaſeum, iniquo iure, in præclarorum hominum famam, violenter ſuis cerbereis latratibus gràſſari. Deſinat mordaciſsimis, & probroſis illis ſalibus, & lęthiferis laniatibus, doctis viris ſycophantari, & principes honeſtiſsimos, qui maximam ſunt gloriam, & laudem conſecuti, in diſcrimen famæ apud poſteros adducere, deponat ſuæ aganippeæ apparituræ doloſos, ſonticos, tenebricoſos, maledicentiæ lictorios faſces; comprimat mordacē illam maledicendi licentiam, proiectam audaciam, inſignem petulantiam, inanem vaniloquentiam. Vos ſibilis explodite Aud. Traianum Boccalinum conuiciorum corycium, crabronem contumelioſum, buccentem inſidioſum, tenebrionem criminoſum, inebram, & incendiariā auem, coruum non tabellarium apollineum. Cogor hic ego veſtram non clementiam, non pietatem, ſed fidem, ſed iuſtitiam implorare: qui ſi hac mea defenſione Io. Georgium Triſsinum iniquo iure reum à ſatyrico, vafro, & aſtu doloſo conuiciatore, mente dimoto furore percito, hac cauſa in exiſtimationis periculum productum cenſetis, de nouo hoc Laberio, & Sophone mimographo Boccalino, qui non Triſsinum ſolùm, ſed omnes ferè, qui de litteris ſunt præclarè meriti, eadem licentia, & libertate, ſuis infeſtiſsimis nugis, & virulentis dicterijs perculit, eam ſententiam feratis, quam lex illa Talionis, à Romanis olim decemuiris æneis exarata tabulis, & à S. C. Voluſiano repetita denuò, præſcribit, vt iſtius ſcripta, delphicas ſcilicet illas centurias, & lupanares, lutulentaſque elucubrationes, ſcarrabęo nigriores, Camarina, & Mephiti peſtilentiores, non tàm obelo iuguletis, & lituris coarguatis, q̃ ab omnium lectione proſcribatis, & ipſum bucconem BVCCALINVM ſtellionatus crimine ſæpè reū, nefarijs holophātarum mercimonijs fędū, iniecta priùs procaciſsimæ, & maledicæ ſuæ linguæ PASTOMIDE, quam pro gentilitio ſtemmate, vel vſurpauit, vel à ſuis maioribus veterinaria arte illuſtribus recepit, è contubernio agaſonum Parnaſsi deturbetis. *DIXI.*

Quoniam

Digitized by Google

QVoniam meminit auctor Epitaphij, cenotaphio Ioann. Georg. Triſsini Vicetiæ inſculpto (reliquum enim tanti viri, quod claudi poterat, Romæ in Templo S. Agathæ in Suburra conditum fuit) illud hic tibi Lector ſubijciendum duximus, ut elatrantis Traiani Boccalini ineptum, & captioſum commentum, magis hebeſcat.

IOAN. GEORGIO TRISSINO Patritio Vicent. Poetæ, & Oratori Celeberr. tàm nobilitate, quàm doctrina, & integritate Leoni Decimo, & Clementi VII. Pont. Max. Nec non Maximil. & Carolo V. Impp. Alijſque Principibus acceptiſsimo, legationibus pro Chriſtiana Repub. Temporibus difficillimis fœlici cum exitu apud eoſdē peractis. Daciæ inde Regi deſtinato, in coronatione Caroli Imperatoris ad ſacræ pallæ Pontificiæ nitentis ferendi ſyrmatis munus, inſignioribus Principibus ad hoc ipſum aſpirantibus poſthabitis Bononiæ electo. Aurei velleris inſignibus, & Comitis dignitate pro

ſe, & poſteris ab eiſdem Imperatorib. decorato, apud Ser. Remp. Venetam ſæpius Legati nomine, de Clodianis Salinis, de Veronæ reſtitutione, de Pace, deq́; alijs negotijs grauibus re ad votum tranſacta. Sublimiori gradu ſobolis, ergò recuſato. Operibus plurimis cum antiquitate certantibus elucubratis. Rebus ſuis, & poſteris eidem inclytæ Reipublicæ Ven. ex teſtamento commendatis. Vitaque religioſiſs. functo Anno ætatis ſuæ LXXII. Virginei verò partus M. D. L.

Pompeius Cyri Comitis, & equ. fil. vnicus ſuperſtes nepos, & hæres, affineſq́; tanti anteceſſoris memores pij, gratique animi M. PP.

An. Salu. M. DC. XV.

EPI-

# EPITAPHIA VARIA
Incertorum auctorum, pro Tumulo Traiani Boccalini.

Digitized by Google

Digitized by Google

GASPAR TRISSINE

V T

FELIX AD INVIDIAM

FLORENTIORE FAMA

VIVAS

FVNEBREM TIBI DECADEM

VTI

PRVDENTIAE TVAE ARAE

VENERATIONIS IVRE

PET. PAVL. VENTVRIN. IC.

L. M.

LIBO

Digitized by Google

Digitized by Google

Genere, Doctrina, rerumq; vſu præſtantiſsimo Viro

# GASPARI TRISSINO

PATRONO FAVTORI COL.^o

PETRVS PAVL. VENTVRINVS IC.
SALVTEM DICO.

*DOLOREM, & ſuſpiria, & in extrarios lacrumas hâc vnâ funebri Decade tuas GASPAR provoco: imò Pietatem à tali juſtitio indicto. Nemo ni ploret legat, & niſi horreat, nemo audiat. Horror eſt, quod minus naſci, ſi denaſci debuiſſent. Auditus eſt, quem ſaepiùs cum amaritie vſurpare adigimur. Ploratus eſt, quod bonis plurimis carendum. Lectio eſt, vtiq; à ſepulcralibus monumentis. Eheu GASPAR TRISSINE Nobilitatem, pectusq; generoſum tuum interpello, ſed veneror, Pietatem tam jure, quàm meritò, tot impendendam meritis, proſequamur. Horum pigeat, quod immorituro decori ſuo non ſuperſint. O ſi vtrimque, etſi luctantia per ſuſpiria, verba! Quas ſolidas tacita obſervatione virtutes ſilentibus illis admiramur: Alloquentibus in hilaritatis ſpeciem vivaci gaudij ſenſu excitati arctioribus complexibus, avidioribus oſculis prolixiùs veneraremur. Decies provoco, nec paucies, ne nobis deſimus, ''' ibus quinimmò. Decies, nec pluries, ne perpetuò, etſi perpetui*

 *ſint*

*ſint materia doloris, lacrumas excuciant. Conceſſere! O fati crimen.''' Extremiùs non doluiſſe. Subitâ igitur amoris vi, & exiſtimationis, ſingultus, amaroremq́ repetamus. Vale, luge, vlula, freme, & dole. nec vllum certò majoris gloriae, ſublimiorisq́ nobilitatis ſpecimen. KL. Sextilibus cIↃ IↃc xxiij.*

Digitized by Google

FLVVNT GEMITVS REFLVVNTQVE
IN AMARITIE IN LACRVMAS
EXANIMES MERGIMVR ORBATI
ABESSE EXTERRITI CREDIMVS
NOSTRAE DECVS VRBIS
FRANCISCVM COM. DALLA-TVRRE
SPECIMEN
TANTI FVNERIS
ESTO
FERALIS HAEC POMPA
VIXIT
ADHVC VIVIT
MORITVRVS NVNQVAM
DIVIS DEOQ. FRVITVRVS
NOS
PVDORE TINCTI TACEMVS
DOLORE PRESSI GEMIMVS
OBIIT ET ABIIT
OBEAT ET ABEAT
HOSPES
FELIX FVIT BEATVS FVIT
MORES QVOIVS EFFINGE
TAM BEATVS QVAM FELIX
VT
AETERNVM TV SIES

Digitized by Google

TVRRIANAM Domum, ſive DALLA-TVRRE ex longiſſimâ regum ſerie ab hominum memoriâ fuiſſe nullus haeſitandi locus eſt. Hancce jam Denatus Comes FRANCISCVS ore praeferebat, & ex quocumq; geſtu modeſtâ quadam Majeſtate ſuſtinebat, vt non Heroa (obſtupeſcite, haut [a] vernaliter, imò ex praeſcribto fidei ſcribo) ſed ex Dís numen vbiq; fatereris.

Majeſtas ſempiterni nominis ſymbolum.

ΛΗΜΜΑΤΟΣ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ

*AEternam famam, immortalitatemq́ cogitant, qui virtuti inhiant. Eâ praeditos recolunt, admirantur, aemulantur, nullâ aliâ mente, & metâ, quàm verâ via ad gloriã graſſari, nilve aliud penſi habere, ſi quid agunt; non alius certe, quàm hujus virtutis amore. A majorum [b] vmbris anxie trahantur, & ingenio ab Ocÿ profundo emergente virtutis hujus laude, & ſplendore excitantur. Tu Vir politiſſime Barclae teſtis eſto, & [c] ai, Et tum maxime vigent cum extinctorum deſiderium perennis memoria illuſtrat.*

IN OCCIDVIS PIETAS
LILLA FELIS
AETERNI NOMINIS HVIVS
PRINCEPS
OMNIVM VERSVTISSVMA
